



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN


## Universitätsbibliothek Paderborn

**Apologia Pro Conscientiis infirmis, Sev Responsio Benigna  
Pro securitate dictaminis practici super certa  
probabilitate fundati**

**Fibus, Bartholomaeus  
Schweitzer, Johannes**

**Coloniae, 1682**

**urn:nbn:de:hbz:466:1-39304**





h  
52


Th. 452.


D. 1

~~49~~ 41.









# APOLOGIA

Pro Conscientiis infirmis,

*S E U*

## RESPONSIO BENIGNA

Pro securitate dictaminis practici  
super certa probabilitate fundati,

*Quam*

Rigidioris sententiæ novissimo PATRONO

*Admodum Rev. & Eximio P. M.*

### JOANNIS SCHWEITZER,

Ordinis FF. Eremitarum S P. Au-  
gustini Provinciali Cis-Mosano, SS.

Theol. Doctori & Professori Ordin.

Authori DISSERTATIONUM  
THEOLOGICARUM

de RADICE Propositionum

*A Summis Pontificibus*

### ALEXANDRO VII.

Et

### INNOCENTIO XI.

*Collegii  
Paderbornensis*

damnatarum

*Sacrosancti  
1795*

OFFEREBAT

OPPONENS ita nominatus

in TRIPLICI DISSERTATIONE Authoris mem.

*Permissu Superiorum.*

Coloniæ, Typis PETRI ALSTORFF. Anno 1682.



APOLOGIA

Pro Christianis

RESPONDENS

Pro Christianis

Pro Christianis

Pro Christianis

Pro Christianis

Pro Christianis

Pro Christianis

Pro Christianis

Pro Christianis

Pro Christianis

Pro Christianis

Pro Christianis

Pro Christianis

Pro Christianis

Pro Christianis

Pro Christianis

Pro Christianis

1711  
1712  
1713



AD BENEVOLOM  
LECTOREM.



*D*itus est in lucem hoc anno  
libellus quidam sub titulo  
DISSERTATIONIS  
TRIPLICIS, ad mentem  
trium Ecclesiae Doctorum  
AUGUSTINI, THOMÆ,  
BERNARDI: *cujus tertia Dissertatio agit  
de RADICE Damnatarum Proposi-  
tionum, quam Author asserit, & imperi-  
tis persuadere nititur esse Doctrinam de li-  
cito usu Opinionis probabilis, in con-  
cursu probabilioris & tutioris. Huic  
Libello RESPONSIONEM paro, quam in-  
scripsi BENIGNAM, tum quia Doctri-  
nam continet, quæ est secundum pie-  
tatem 1. Tim. 6. id est, quæ favorabilis &  
secura est pro infirmorum Conscientiis:  
tum quia ad legem charitatis, quæ pariens*  
A 2 est,

## AD LECTOREM.

est, benigna est, I. Cor. 13. Non reddens malum pro malo, calamum attemperavi; condonans ex animo, quod peccavit in me Frater, quicumque non contentus approbasse libellum DISSERTATIONIS TRIPPLICIS, concupiscentiæ insuper seu propriæ seu alienæ sacrificium haud legale præstitit, in quo consolatur me istud Augustini: quoniam Sicut nemo justificatur alienâ laude, ita nec læditur infamiâ falsâ.

Quantulicunque hujus à me suscepti laboris pro vindicanda Fidelium libertate, quam habemus in eo, qui contestatur Matth. II. Jugum meum suave est & onus meum leve; à te mercedem aliam non expeto; præter id, ad quod centies appello, æquum & prudens iudicium. Subintroierunt enim quidam (liceat phrasi Paulinâ uti) explorare libertatem nostram, quam habemus in Christo JESU, ut nos in servitutem (duri admodum jugi & oneris importabilis) redigerent, quibus neque ad horam cessimus, ut veritas Evangelii (suavitasque jugi & levitas oneris, quod Christus imposuit) permaneat apud vos. Gal. 2.

Opto hoc unice, ut quisquis munia Boni  
Pasto-

## AD LECTOREM.

Pastoris obire desiderat, pro cuius potissimum solatio & instructione hanc Apologiam concepi, nôrit ex his, & sollicitè curet seipsum probabilem exhibere DEO; quod Paulus Timotheo tam sollicitè commendabat; & juxtà salutiferam in Ecclesia Doctrinam Probabilisticam, quæ merito suo dici potest Doctrina Prudentium facilis, Prov. 14. conscientias hominum tot ac tantis infirmitatibus subjectas, ubi sic necessitas exiget, cum sale discretionis ad salutem dirigere, aurei istius moniti ubique memor: Nonne melius est, propter misericordiam rationem reddere, quàm propter crudelitatem? Ubi Pater - Familias largus est, ut quid Sacerdos ejus austerus? vis apparere sanctus? circà vitam tuam sis austerus; circà alienam benignus. Ita Richardus de S. Victore ex Authore operis imperfecti.


Ut autem, quid vocibus significetur, intelligas, Lector, probabilisticam nôris vocari opinionem, quæ probabiliora & tutiora ex obligatione semper esse tenenda contendit: Probabilisticam verò, quæ in dubio Iuris licitum esse sustinet, sequi sententiam

## AD LECTOREM.

tentiam certò & strictè probabilem. Quid nomine & re significatâ Opinionis probabilis intelligatur, paulò post exponetur. Dubium Juris dicitur, cùm dubitatur, an aliquid licitum sit? ut E. C. An licitum sit baptizare in aqua rosacea? Dubium facti est, cùm extra prædictam liciti rationem dubitatur, ut E. C. An aqua rosacea sit materia sufficiens ad valorem Baptismi? cetera patebunt per decursum. Calamo hæc dabam Calendis Martii 1682. quando & typis vulganda fuerat Apologia, nisi tempora vetuissent, quibus servandum fuit.



RESPON-



RESPONSIONIS  
APOLOGETICÆ,

Ad Authorem Dissertationum  
directæ

C A P U T I.


Status Controversiæ & levis autho-  
ritas doctrinæ probabilioristicæ  
ex ortu & progressu ejus expen-  
ditur.

---

§. P R I M U S.

*Paratur ingressus in Controversiam.*

ADM. REV. & EXIMIE P. M.

1.  Eno è rudiore & simpliciore ho-  
minum genere pervolvens opuseu-  
la Paternitatis Vestræ, facilè dubi-  
tabit, quin ipsa mereatur bene de  
Rep. Christiana, quam tot in lucem editis Dis-  
sertationibus Theologicis, non erudire solùm,  
A 4 sed

sed excitare etiam nititur ad virtutis perfectio-  
nem. Nunquid aurea saecula viveremus, & pro-  
scriptâ inutili vitilitigatorum turbâ, Superûm  
Pax in Mortalium sedes commigrasse videretur,  
si, quemadmodum docere hortando & incre-  
pando promptum est Paternitati Vestrae; ita so-  
cialem vitam ex divinis consiliis instituendi  
voluntas æquè omnibus præstò esset? Nunc  
autem *Frater cum Fratre iudicio contendit*, inju-  
riâ facit, fraudat, devorat: & rari apparent nantes  
in gurgite vasto, de quibus 2. Cor. 10. *Sustinetis,  
si quis vos in servitutem redigit, si quis extollitur,  
si quis in faciem cadit.* Nec miremur magnoperè  
ætatis nostræ fortunam. Cùm enim de ipso  
Magistro Doctorum legamus Actorum cap. 1.  
*Cœpit IESUS facere & docere*; & vix tantillum  
tamen pusilli gregis ex ea hominum multitudine  
ad perfectionis Evangelicæ studium pertra-  
xerit: quid speremus effecturos nos, qui insta-  
biles sumus in omni opere & doctrina, dum au-  
demus exhortari ad ea, quæ sanctè observare nec  
ipsi præsumimus? atque utinam exhortari so-  
lùm: & non legum novarum laqueos texere,  
quibus irretitæ miserorum conscientia in pec-  
cata formalia præcipites ruant. Nullus reperi-  
tur Theologicis vel mediocriter tinctus, quin  
maximè increpandas ducat incautas Muliercu-  
las, quæ zelo pietatis, sed non secundùm scien-  
tiam, ad mendaciolū quodvis à parvulis prolatū,  
ad li-

adlicentius verbum, ad insolentiam puerilem, identidem inclamant & intentant cruces, rogos, gehennas. Quid enim, nisi conscientias erroneas injiciunt, quibus infirmi, dum ab ejusmodi levitatibus abstinere haud satis valent, velut rudentibus ad inferos detrahantur? & laudabimus, si legum inexpertis, quos parvulorum loco Magistri Theologi habere debent, quispiam legis Doctor inclamet: Piaculum grande, mortale nefas, dignum gehennâ facinus, nisi *in dubio juris probabilior ubique & tutior pars eligatur?*

2. *Periculose* ( ut inquit Angelicus Doctor Quodl. 9. q. 7. a. 15, in O. ) *determinatur aliquid esse peccatum mortale, nisi expressa veritas habeatur.* Quo articulo idem S. Thomas sic argumentatur: *illud quod vergit in commune periculum, non est ab Ecclesia sustinendum; sed Ecclesia sustinet, ut aliqui habeant duas Præbendas, ergo in hoc non est periculum peccati mortalis.* Applico: Sed Ecclesia semper sustinuit, & adhucdum sustinet doctrinam probabilisticam in dubio Juris ( posteaquam licet ad tam acre & strictum examen apud Romanos vocata est, & velut in igne probam sustinuit, frustra interpositis tam multiplicibus æmulorum postulationibus pro ea condemnanda ) ergo in hac non est periculum peccati mortalis. Major est doctrina D. Thomæ. Minor est evidens. Conclusio in forma. Unde Sic fortius procedo: quia si periculosum est

A s

semper




semper, determinare, *aliquid esse peccatum morale, nisi expressa veritas habeatur*: longè erit periculofius, & scandali res plena, in negotio imprimis tam periculofæ praxeos, si contra communiorè & faniorè meliorum Doctòrum sensum ita determinetur: atqui hoc fit in præfenti à Paternitate Vestra, ut fufius ostendam: ergo. Nifi autem ad lucem quoque evidenter comprobâro, argumenta P. us V. <sup>ix</sup> ex autoritate trium Ecclesiæ Doctòrum, ad quorum scilicet mentem intitulatur Libellus DISSERTATIONIS TRIPLICIS, tam falsò, quàm speciosè deducta, ne umbram quidem habere tenuissimæ probabilitatis pro opinione probabilioristica, fatebor, quod revera sim ignorans, uti me vocat quidam Doctissimus F. Leonardus in sua approbatione.

3. Si proindè legem tametsi certissimè latam non rarò dissimulari apud imperitos jubet ordinatæ Charitatis & vel minimæ discretionis lex, *ne videlicet pereat infirmus in nostra scientia frater, propter quem Christus mortuus est* I. Cor. 10. quomodo non maximè verebitur vir intelligens & prudens legis omninò incertæ; ne dicam fictæ; & legis tam arduæ, tam intolerabilis obligationè certam, cuius hominum statui in morum quavis materia, contra torrentem Doctòrum ac Theologorum totius Ecclesiæ, & pacificam à tot sæculis possessionem, injicere in non dubium salutis æternæ periculum? *Nescitis quoniã sic peccantes in*

tes in fratres, & percutientes conscientiam eorum infirmam, in Christum peccatis? 1. Cor. 10.


4. In his, quæ sunt abundantioris justitiæ, consilium dare & blandè exhortari cum Apostolo omninò laudabile est; iram verò Dei, iudicium, gehennam, quasi habentes mandatum à Domino iis intentare, qui incertis, ut sic loquat, doctrinarum & legum ventis nolint circumferri, hoc non laudo, non probo. Magis etiam improbo ac damno, viros, quos super candelabro Ecclesiæ virtus & doctrina constituit, tot & tales, eò quod sanam Doctrinam sustineant, indignis censuris & epithetis notari: eaque cusis & recusis libellis vulgari, quibus apud facilè credulos Lectores in suspicionem falsæ ac damnabilis doctrinæ, in odium planè & invidiam vocentur. *In quo enim iudicas alterum ( verbis Apostoli uitor ) te ipsum condemnas. Rom. 2.* Dum ea agis, quæ per nullius vel minimæ probabilitatis speciem velut licita excusari queant. Ex quo & ostenditur longè facilius esse, aliis legem imponere, quàm observare. Sed de his postea; cum de substantia rei pertractaverimus.

\* \* \*  
\* \*



## S. SECUNDUS.

Ratio scribendæ hujus Apologeticae  
exponitur.

1.  Estor autem conscientiam meam, quod invitus & necessitate compulsus accesserim ad hanc elucubrationem parandam; quæ utinam esse posset tam honorifica Paternitati Vestræ, quàm necessaria est famæ tum propriæ tum alienæ etiam tuendæ. Discrimen, spero, faciet prudens Lector, inter eum qui criminationem fecit, & eum, qui absterfit. Si calumniator censendus est, qui per injuriam provocatus, cum justæ defensionis moderamine facit adversarium talionis reum, fatebor me calumniatorem. Nunc autem rectè inquit in causa meâ Divus Thomas ex S. Augustino (quod in obtrectatores Societatis JESU etiam Sandæus) *Gratanter suscipit osculum columbinum pulcherrima & modestissima charitas; dentem verò caninum vel evitat castissima cautissimaque humilitas, vel retundit solidissima veritas.*

2. Indignabar non parum jam pridem, fateor, libellum Paternitatis Vestræ editum anno 1679. adeò malè & scandalosè fundatum super radice damnatarum propositionum, in & extra muros  
Ubio-

Ubiorum circum latè volitare, & velut in triumpho quodam circumferri, cujus indicio *Via* scilicet *Regia* salutis ostenderetur his, quos Salvator ad vitam ingredi hortatur, *per angustam portam*, cui inscriptum legatur; *Ego sum veritas* Joan. 12. Non autem, *ego sum probabilitas*: uti inscribere quidam tentarunt *Presumptuosi, nolentes voluntatem suam Deo submittere.* (his titulis honorariis utitur Paternitas Vestra in suis libellis) *nolentes intelligere, ut benefaciant: portam sine dubio mortis, quia lata porta & spatiosa via est, qua ducit ad perditionem Matth. 7.* Magis tamen commovebar, cum adverti tot diversorum statuum viros etiam politiores; sed non admodum tamen in Theologicis versatos, speciosè conquisitis Authoritatum & ratiuncularum Paternitatis Vestræ persuasionibus à doctrina & conversatione probabilistarum speciatim sociorū JESU absterri, & erga eos, nescio quem (nolo gravius loqui) sinistram diffidentiae affectum affricari. Unde & pro justis vindiciis cœpi in publica Schola Theologica, cum ordo studiorum sic postularet, breve compendium doctrinæ Probabilisticæ ad calamum dictare, tam omnino solidis Responsionibus ad objecta instructum (de hoc postea judicabit Lector) ut sperarem, non auditoribus duntaxat, sed P.<sup>ti</sup> etiam V.<sup>te</sup> sufficiens fore fundamentū pro alia longè existimatione religioso ipsius animo ingerenda. Neque plus aliquid deferre libello P.<sup>tis</sup> V.<sup>te</sup> pro tunc statueram;


ram;

ram, licet mirarentur multi, indignarentur etiam non pauci, a nemine Sociorum JESU responderi.

3. Respondisse quidem pro iis visus est quidam Wilhelmus Sandæus; sed intactam reliquit hanc controversiam nostram: nisi quod obiter & strictim attigerit super propositione tertia damnata ab Innocentio XI. contentus ea paucis refutasse, quæ in odium istius Ordinis adducebantur. Sed ad paucorum quoque manus confutatio ista Coloniae pervenit. Nè autem & edito libello responderem ego, absterrebar eâ cogitatione, quòd parum fructus reportari apud populum Christianum existimarem, in scribendis sine fine libellis, qui piperi serviant magis, quàm ædificationi, quæ est in Christo Jesu. Ne dicam, quod vitio etiam gravissimo Religiosis vertatur, quando infamatoriis libellis plùs, quàm virtutum exemplis decertant.


4. Nunc verò posteaquam refutationem in dictatis meis factam, stylo non petulante, ut petulanter in me F. Leonardus (de quo & pluribus aliis suspendat Lector judicium, donec respondero: nam *qui statuit aliquid parte manditâ alterâ, æquum licet statuerit, haud æquum facit*) novi denuo libelli editione impugnandam suscepit P. ras V. ra, idque cum tam gravi & injuriosa infamatione mei, de qua passim intrâ & extra hanc Urbem constat: adeoque non cessat provocare in causa tam justa; ne silentium ulterius vitio vertatur,

tatur, & scandalizentur multi, paucis per præsentem elucubrationem statui respondere.



### §. TERTIVS.

*Proponitur status Controversiæ & quedam prænotantur.*

1.  Tatum quæstionis probabilisticæ exponit P.<sup>tas</sup> V.<sup>ta</sup> pag. 25. prioris libelli super radice, in his formalibus: *utrùm in concursu & conflictu opinionum licitum sit eligere minùs probabilem, faventem libertati & commodo, relictâ probabiliorre & tutiore favente legi naturali aut positive divinæ sufficienter propositæ? Veritatem indagaturi tollamus amphibolias. Sonare videntur formalia ista, utrum legi reverà latæ, & sufficienter nobis propositæ liceat contraire? quod non est in controversia: cum nemo Catholicorum, sed nè Hæreticorù quidem aut Turcarum hoc doceat. Si placet, ego & brevius & generalius & clariùs statum rei sic expono: an liceat in dubio Juris sequi sententiam dummodo strictè & certò probabilem? quo etiam sensu apertius in triplici Dissertatione exponit statum controversiæ ipsa P.<sup>tas</sup> V.<sup>ta</sup>, licere docemus nos; non licere sustinet P.<sup>tas</sup> V.<sup>ta</sup>, docens sub obligatione peccati opiniones tutiores, dummodo simul probabiliores, in dubio etiam Juris tenendas esse. Et de hac quæstione pag. 48. Dissertatio-*

sertationis cit. notat ex vero testimonio Patris Terilli, quod sit adeo gravis, ut gravior & acrior controversia nunquam mundum impleverit. Agitur enim de cardine negotii animarum, & fundamento totius Theologiae moralis. Ob quod operæ pretium duxi, pauca specialius prænotare pro faciliore intelligentia tractandorum.

2. Sciendum igitur, uti etiam prænotat P. <sup>tas</sup> V. <sup>ra</sup> pag. 48. *Intellectum speculativum* dicitur à D. Thom. p. I. q. 79. a. II. *qui pro fine habet veritatem: practicum vero, qui habet pro fine opus.* quâ eadem quæstione a. II. in O. notat idem S. Doctor, dari *principia operabilium prima, uti & speculabilium.* Habitus in speculabilibus principiis vocatur *intellectus principiorum*; in operabilibus autem *Synderesis.* Ex principiis *Synderesis* deducuntur dictamina practica: quæ vel sunt ultima de hîc & nunc; vel non ultima, de actione aliqua aut omissione spectatâ extra circumstantias particulares, quæ per hîc & nunc significantur. Priora vocantur *practicè practica, vel simpliciter practica*; Posteriora *speculativè practica, vel simpliciter speculativa.*

3. Conveniat nunc inter nos, quid nomine *Opinionis strictè & certò probabilis* intelligatur, nê dum in incertum tendimus, pugnare cum umbris videamur. Dicit enim *Angelicus Doctor* I. 2. q. 72. art. 5. in O. quod *errans circa principia imper-suasibilis est.* Unde & *Cicero* lib. I. de officiis, & cum eo *Ulpianus* lib. I. ff. de iniuria & iure affe-

ctant;

runt, à bona definitione tractationem omnis rei exordiendam esse. Ab Etymo ergo nominis dicitur opinio *probabilis*, quæ velut *justa probatur*: non quidem causaliter, eo sensu, quasi justè semper operetur, qui utcunque *in dubio juris* juxta opinionem strictè probabilem operatur (hoc enim in statu manet quæstionis propositæ, & probandum assumitur) sed formaliter, eo sensu, ut scilicet ipse assensus in objectum ex strictè probabilibus motivis post explicandis, pro *justo & inculpabili* habeatur: perindè ut solet *ignorantia simpliciter antecedens* à Theologis dici *probabilis*. Quod alii aliter explicant, ut assensum ex motivis strictè probabilibus dicant *justum & inculpabilem in ratione actus, seu ut speculativè talem*: præscindendo utrùm habeatur & sit etiam *in ratione regula regulantis operationem, & facientis illam esse justam & inculpabilem, id est, practicè talem*, nec ne. Sic enim *D. Thoma, Scoti, Suarii & similibus* doctrinas non veremur pronuntiare speculativè justas & inculpabiles, quod hi tales nihil temerè asseruerint; sed non nisi rerum momentis ritè ac debitè perpensis ad judicandum processerint. Unde nec illos, qui in horum sententias tuendas solent ex motivo honesto conspirare, imprudentiæ censemus arguendos. Neque eo magnoperè movemur, quod unus alterve superciliosus Cato, aut veterum Academicorum institutor imprudentiæ arguendū sumat omnem opinantem, eò quod erroris periculo se exponat.



Dico enim constare probè, non esse nos Angelos, qui rerum naturas, causas, proprietates, & universi hujus plenam tot portentis machinam, pernoscamus evidenter, ac velut oculis subjecta fidelibus omnia intueamur. Quâ rerum scilicet certâ notitiâ delectabiliter pascatur ac satietur appetitus sciendi naturaliter nobis inditus. Cùm proinde assensus omninò certos, velut cibos stomacho intellectus nostri magis appetibiles obtinere non possumus; incertos, sed probabiles tamen ac verisimiles venamur: grossiorum etiam ciborum, id est opinionum appetentes pro latratu stomachi utcunque compescendo. Quòd autem utcunque compescant famem, licèt non omninò delectabiliter satient assensus isti probabiles, experientiâ docemur manifestâ, quam qui inficiari velit, se hominem inficietur necesse est. Neque his prudentùm ullus, quantum persuadeo mihi, repugnat, præter umbratiles istos sapientes Ethnicos, de quibus infrâ.

4. Pro definitione autem rei danda *Opinionis Probabilis* ad sensum Catholicorum & doctorum Virorum, quales esse nos Probabilistas fateatur in libellis suis P.<sup>tas</sup> V.<sup>ra</sup>, inquirendum est primò in motivum strictè probabile: quia *Opinio Probabilis* alia non dicitur, nisi *que nititur motivo probabili*. Tale igitur motivum dicimus *rationem seu apparentiam incertam, sed momentatim simpliciter gravis*. Nomine *apparentia* possunt comprehendi motiva, certa, incerta, vera, falsa,

falsa, probabilia, improbabilia. Per tò autem, *gravis simpliciter momenti*, indicatur, quòd examinatis utriusque partis oppositæ argumentis cum debita mentis integritate, debeat *motivum*, quod *strictè probabile* dicitur, virtutem, stimulum, pondus retinere movendi, stimulandi, inclinandi intellectum viri docti & timorati ad assentiendum: per quod scilicet *absoluta probabilitas* distinguitur à *respectiva*, quæ vel ex solis rationibus unius partis oppositæ potest exurgere, vel ad imperitorum solummodò Virorum iudicia mensuratur. Ubi

§. OBSERVAMUS fieri posse, ut rationes intrinsecè graviores, & quantum ex natura sua, plus aptæ intellectum stimulare, movere, inclinare, imò & quasi necessitare ad assensum, elidantur tamen quandoque, & omni probabilitate absolutâ spoliari penitus possint per certitudinem rationum oppositarum; etsi rationes intrinsecè minùs graves retinere eam possint, deficiente rationum oppositarum soliditate & certitudine. Hujus veritas patescit in exemplo rationum, quas Zeno adfert contra motus possibilitatem, in tantum stringentes, ut qui eas dilucidè ad plenam satisfactionem dissolvat (tametsi de earum falsitate constet certò ex manifesta motuum experientia) in hunc usque diem inveniatur nemo. Idem in iis argumentis usuvenit, quibus ineffabile, seu *increate Trinitatis*, seu *Inarnationis Dominice*, seu *Eucharistie Christi presentie*


*sentia sub speciebus subjecto materia orbatis Myste-  
rium, imò & manifesta Decretorum Divinorum  
libertas, oppugnatur. Quarum qualiumcunque  
rationum vis, momentum, stimulus, pondus, ad  
oppositam revelationem ab eo factam qui Au-  
thoritatem habet supremam & infallibilem, per-  
indè ut à facie ignis cera liquefit, & in fumos va-  
nescit. Denique per tò apparentiam incertam dif-  
ferre noscitur à motivo scientifico, item fidei su-  
pernaturalis & quovis certo.*

*Ac proindè opinio strictè probabilis rectè à Ca-  
tholicis & doctis viris definitur: *judicium incer-  
tum nitens motivo gravis simpliciter momenti: vel,  
ut habet Honoratus Fabri, *judicium citra certi-  
tudinem rationabile: seu, ut Martinus Esparza,  
judicium nitens motivo fallibili, sed magni momen-  
ti: seu, ut Georgius Gobat ex Sanchez, *Opinio,  
quæ citra certitudinem firmâ & prudenti ratione  
fulcitur, nec habet contra se rationem convincen-  
tem: seu, ut novissimè definit Jacobus Plate-  
lius, *judicium habens pro se fundamentum pruden-  
ti estimatione solidum, cui Scriptura, Con-  
cilia, Patres non repugnent.*****



§. Q V A R T V S.

*Continuantur Prænotationes.*

1.  T que hæcenus quidem definitiones allatæ satis cum claritate subsistunt, & ex paulò ante dictis sufficienter possunt intelligi. Aliam affert Terillus ex Philosopho nonnihil obscuram, cum dicit: esse *judicium ex motivo seu apparentia veritatis de se quidem fallibili, sed tamen tali, ut sæpius contingat motiva similia conjungi cum veritate, quàm cum falsitate.* Videamus in exemplo: Petrus admodum exercitatus & fortunatus in lusu chartarum provocat Paulum inexercitatum. Astat quispiam divinator, & Pauli fore victoriam prædicit, Luditur. In hoc casu constat, quantum quidem est ex motivis his, nullam nobis esse certitudinem pro alterutrius determinata victoria: & simul tamen prudentis judicio constat esse probabile, quòd Petrus sit victurus, & simul probabile, quòd Paulus sit victurus. Quæro jam, an motivum pro victoria Petri sit tale, ut, obstante licet motivo divinationis factæ, jungatur sæpius cum victoria, quàm cum perditione victoriæ? quis scit? ponamus enim colluisse nunquam. & scimus tamen utrumque esse probabile, licet alterutrum solùm determinatè eventurum sit. Unde dicendum restat; si non probabilius in

comparativo volumus definiri, sed probabile in positivo, & simpliciter tale; exercitationem & fortunam Petri esse *motivum probabile* hac ratione, quòd *ipsum*, seu *ipsi similia*, id est, æquipo-ponderantia, inter motiva omnia incerta seorsim distributivè sumpta (in quibus includuntur etiam crepera, id est, probabiliter solùm probabilia, de quibus infra: item temeraria & quævis improbabilia) *soleant sæpius conjungi cum veritate, quàm cum falsitate*. Similiter & divinationem esse *motivum probabile*, quia ipsi *similia seu æquipo-ponderantia*, inter motiva omnia incerta seorsim distributivè sumpta *solent sæpius conjungi cum veritate, quàm cum falsitate*. Quo sensu necesse erit exponere quamcunque strictam probabilitatem, ut scilicet oppositæ sententiæ intelligantur simul posse fieri probabiles. Quales oppositas utrimq; probabiles reperiri qui negaret, præsuppositione sublatâ, omnem tolleret statum controversiæ nostræ.

2. Quod si ob præactam qualemcunq; obscuritatem non admodum fortè arrideat posterior definitio, clariorem (nam & nobis major in veritate claritas placet, licet satisfacere omnibus cupiamus) & maximè placituram feligat Lector ex supra allatis, cum singulas approbent Catholici isti & docti viri. Si quas alias definitiones, seu in alio sensu obtrudant Adversarii nostri (utî solenne est illis, in quos meritò cadat illud Marci Tullii: *Populo imposuimus, & oratores visi sumus.*)  
 sciat

sciât candidus Lector, à rigidis & germanis Probabilistis penitus improbari.

3. Dividit autem Paternitas Vestra pag. 50. Dissert. ultimæ, opinionem *probabilem* in probabilem *probabilitate intrinseca*, id est, eam, quæ nititur ratione gravi seu magni ponderis ex rerum naturis desumptâ, & *probabilem probabilitate extrinsecâ* seu *authenticâ*, quæ nititur gravi Authoritate Doctorum.

4. pag. item 70. notat, non malè opinionem probabilem dividi posse in *quietam seu pacificam*, id est talem, contra quam vel nulla, vel exigui momenti argumenta afferuntur; & in *agitatam seu turbatam*, quæ gravibus argumentis impugnatur.

5. Observandum denique, per sententiam simpliciter tutam intelligi eam, cui si te conformes, nullum periculum subeas peccati, ne quidem materialis: similiter *magis tutam*, cui si te conformes, minus periculum subeas peccati materialis. Pro quo intelligat Lector fieri posse, ut oppositæ opiniones probabiles utrimque sint dubiæ pro jure: quales sunt istæ, quibus si te accommodes, utrimque incurras periculum legis materialiter violandæ. Exemplum habes in Coniuge, cui post Matrimonium bonâ fide contractum & consummatum supervenit argumentum probabile de nullitate matrimonii; quid enim agit? concumbat? periculum erit, ne cum non sua concubitum neget? periculum erit, ne injuriâ afficiat

afficiat & fraudet. Tale non invenitur in eo, qui probabiles habet rationes, ex quibus non obligetur confiteri, jejunare, horas recitare, votum persolvere, ut patet. Si enim post lapsum gravem sine dilatione pœnitentiam agas & confitearis, nullum utique erit periculum vel ullius existimatæ legis violandæ. Similiter si ex mutuo consensu cum conjuge vivas, velut frater cum sorore, post subortum argumentum probabile de nullitate matrimonii. Idem est in aliis. Pro quacunque autem parte major est ratio periculi, pro eadem est opinio minus tuta. E contra, si nolis confiteri, nisi cum dilatione, si nolit uxor confetire, ut vivas velut frater cum sorore &c. periculum est, ne legis transgressio materialis fiat. fortè enim lata est lex obligans ad statim confitendum, & fortè illa non est uxor tua.


6. Si roget me Lector, quorsum adeò sollicitè inculcatas velim has prænotationes; Respondeo me id agere, ut uniuscujusque vel mediocriter intelligentis judicio deinceps manifestius fiat, quàm levibus, & evanidis rationibus à Paternitate Vestra oppugnemur, censuremur, condemnemur: ut verè huc istud pertineat *Pf. 62. Sagitta parvulorum facta sunt plagæ eorum.* Et hætenus quidem de occasione, statu, conditionibus Controversiæ nostræ; nunc de ortu & infami ejus progressu videamus.

\* \* \*  
\* \*



## §. QUINTVS.

## Ortus Opinionis Probabilioristicae exponitur.

I.  Ullus sufficit sibi in his, quæ sunt prudentiæ: ideò etiam majores oportet in iis esse doctores: inquit D. Thomas 2. 2. q. 49. a. 1. in O. Quod volo adductum, ut prudens Lector in his, quæ prudentiæ sunt, intelligat consulenda esse Virorum doctorum ac timorum iudicia: Sic ut regula prudentiæ sanior & securior nulla sit à Scripturis & SS. Patribus tradita & commendata, præter eam, quâ iudicium submittere jubemur Virorum sapientium arbitrio. Huic doctrinæ accommodemus nos, & ex Autoritate meliorum in Ecclesia Doctorum concludamus, utrum & qualiter (non enim nisi cum strictis limitationibus) doctrina Probabilistica nostra sit sufficiens norma juxta legem Dei & Ecclesiæ vivendi; ut in constringendis mortalium conscientiis modum tenere & sapere ad sobrietatem discamus.

2. Ac primùm quidem, si aliquid insolenter mihi obvenit in libellis super radice conscriptis; istud maximè est, quòd libelli prioris pag. 57. & in Dissert. tertia posterioris pag. 54. Paternitas Vestra Probabilistas, Catholicos istos Viros & doctos,



doctos, quales eos loco cit. agnoscit, afferat hoc potissimum sæculo exortos & multiplicatos esse. Mirum, si rerum gestarum vel parum peritus, sic in animo possit sentire. Ne fucus simplici & incauto Lectori fiat, pauca respondebo ex *posthumo Antonii Terilli tract. de regula morum*, à singulari eruditione, & rerum peritia, religiosaque imprimis modestiâ laudatissimi Authoris è Soc. JESU. Mortuum citabo, cui parùm nocere potest invidia. Veritas audiatur. Ita habet in *Prefatione operis citati*, quod lucem aspexit Anno 77. hujus sæculi. *Optimè agebatur cum Rep. Christiana, quando Doctores omnes cum summa conscientiarum quiete in unam eandemq; de sufficienti conscientia regula sententiam conveniebant. Sed prò dolor! in re tanti momenti, in quam omnibus omninò futuris etiam temporibus, ut par erat, consentire debebant, gravissima opinantium dissensiones non ita pridem exorta conscientiarum pacem turbârunt: nec turbârunt tantùm, sed easdem etiam scriptis suis (& in lucem editis dissertationibus Theologicis) aliqui turbare pergunt. Quod cum ita sit, è re omnium judicavi fore, si brevem de celeberrima, jamque ore omnium agitata circa licitum probabili-  
lium usum controversiæ ortu & progressu historiam texam. Res ita se habuit.*

3. *Ante annum hujus sæculi trigesimum octavum omnes Authores, omnesque Ecclesiæ Doctores unanimiter asserebant, cuique licitum esse in praxi sequi opinionem probabilem, quamvis illa esset minus  
tuta*


tuta & probabilis quàm opposita; maximè si opinans opinionem illam absoluto iudicio veram esse existimaret (ubi advertat Lector, quod, tò maximè, sit ampliãns non restringens particula: nam simpliciter loquendo, perindè est, uti rationes & responsiones nostræ evincent, sive ipse opinans, sive alii docti ac timorati viri opinionem illam esse veram existiment, debitis cautelis semper adhibitis de quibus infrà, pluribus) hoc evidenter constat ex innumerabilium Authorum scriptis ante annum illum editis, qui omnes in hoc puncto unanimiter conveniunt. Neque enim vel unum à centum & ampliùs annis reperire erat, qui post questionem examinatam, id in expressis terminis non tradiderat. (quod probat etiam pluribus Author citatus, quæst. 22. de conscientia probabili) & hoc adeò certum est, ut nec ipsa invidia ullum Authorem ante dictum annum hætenus citare potuerit, qui veritatem hanc in dubium revocârit. (citatur quidem varios Paternitas Vestra, qui non solum vocârint in dubium, sed apertè Probabilioristicam docuerint, ac tenendam ex obligatione censuerint: sed citationibus puris nominalibus nihil probatur: iudicabit postea Lector)

4. Porrò hæc veritas & unanimitas conspiratio Authorum eò usque progressa est, ut omnes idem uno ore docerent, unum si dempseris Paulum Comitolum, Virum è Societate nostra parum celebrem, qui Anno 1609. edidit responsa moralia libris septem comprehensa, (cùm inspexi Authorem, stupui sanè,

eum tanto animi impetu ferri ad improbandam communem Societatis doctrinam, contra quam nec unicam levissimi ponderis rationem adducat. Sed vix controversiam pauculis etiam attingit, ut, si in tulla materia; tùm vel maximè in præfenti parum celeberrimi haberi debeat; imò nihil egisse prudenti iudicio censeri possit. Inspiciat Lector, & sic esse deprehendet) *Quitamen expressè tenet* (quod & Paternitas Vestra) *licitum esse sequi opinionem minùs tutam, modò illa sit probabilior, aut certè non minùs probabilis, quàm opposita tutior* (Et hic est iste Paulus Comitulus qui tantam præbuit ansam Paternitati Vestræ contra me insurgendi in suo libello, quòd ausus fuisset asserere, omnes è Societate Doctores tenere unanimiter Doctrinam Probabilisticam. Fato hoc, fateor, mihi sinistro accidit, ut, quod in margine scriptorum meorum annotàram; *N. B. omnes præter Paulum Comitolum*; oculos meos fefellerit inter Lectionem dictandam. Si id nescissem, facti error fuisset facilè condonandus, quia parùm faciens ad substantiam rei. quod Bellarminum & alios citet pro sua causa, respondebimus infra.


5. Quod autem inquit Terillus, nec ipsam invidiam citare posse, &c. Intelligendus est, loqui de his, qui ex professo super controversia hac scripserint, aut certè Authoritatem habuisse tantam comprobentur, quantam infra requiremus, ad opinionem reddendam strictè probabilem. Constat enim sæculo superiori aliquos huic nostræ doctrinæ

doctrinæ controversiam movisse: contra quos Or-  
 dinis vestri Augustiniani columen *Michaël Salo-*  
*nus* (cui singularis doctrinæ & sanctitatis famam  
 attribuit Miræus) ita argumentatus est, oppu-  
 gnans P.<sup>tem</sup> Vestram & proprio eam gladio  
 iugulans, *lib. de Jure & Just. cont. 2. concl. 4. & art.*  
*49. q. 63. S. Th.* in his formalibus: *Eligenda est opi-*  
*nio, ut volunt, probabilior; sed quòd liceat amplecti*  
*probabilem* (relictâ, ut ibi docet, probabiliori)  
*est probabilior. ergo.* Major propositio est Pater-  
 nitatis Vestræ: Minorem probat citatus Author:  
*cùm habeat plures ac gravissimos Authores & fir-*  
*miora fundamenta, quàm opposita, ut ex progressu*  
*hujus disput. constat.* Ita Salonius. Notet Pater-  
 nitas Vestra omninò tria, quæ dicuntur; *Autho-*  
*res enim & plures inveniri; deindè & gravissi-*  
*mos* inquit, id est, omni exceptione majores, in  
 quibus scilicet prudentia, virtus, doctrina con-  
 jungantur: Tum & *firmiora* asserit esse *funda-*  
*menta*, qualia scilicet in petra fundantur: Qui  
 autem ædificat suprà arenam, venti ludibrium ef-  
 ficitur. Si Viro isti, qui vixit sæculò superiore,  
 tantillum fidei tribuat Paternitas Vestra, quæ lo-  
 parcius non nihil, quæ locis suprà citatis de ortu  
 & progressu Probabilisticæ nostræ: ubi Lectores  
 videtur mihi pro fungis habere, quibus talia ve-  
 lit persuaderi. Revertamur ad Terillum, qui  
 pergit in hæc formalia, uti se-  
 quuntur.



## S. SEXTVS.

Progressus opinionis probabiliori-  
stica exponitur.

I.  *ic erat status controversiæ presentis usque ad Annum 1638. in quo mortuus est Cornelius Jansenius Episcopus I-prensus. Nam post ejus obitum liber ipsius, qui dicitur Augustinus, editus est. Audiat-ur Caramuel in Apologemate n. 116. ubi sic habet:*  
*„eram Lovanii, cum jam mortuo Jansenio, execu-  
 „tores testamenti de clandestina eius Augustini edi-  
 „tione secretissimè deliberabant. & D. Libertus  
 „Fromundus inter hujus novæ doctrinæ Asseclas  
 „Corypheus, ut viam superventuro aperiret errori,  
 „aut verius, ut illum nihil simile Academiæ Do-  
 „ctoribus prævidentibus disseminaret, has sequentes  
 „propositiones conatus est in Scholam protrudere:*  
*Probabilitatum usus est res nova.*

*Non potest non condemnari apud Deum, qui  
 relinquens viam tutã insistit opinioni probabili.  
 Opiniones, quæ dicuntur aut sunt probabiles apud  
 nos, non erunt probabiles apud Deum.*

2. (Quid aliud sonant libelli Paternitatis Ve-  
 stræ, nisi allatas, immo crudiores etiam propo-  
 sitiones? qualis ista est, per quam, non sine gravi  
 temeritate, velut habens Authoritatem definiendi  
 pronuntiat, Probabilisticam doctrinam esse radi-  
 cema

*tem damnatarum à Pontificibus propositio-  
num radix, jam damnabilior erit ipsis doctrinis  
damnatis, tantòque detestabilior, quantò radix  
potior est ramis. Nescis, quia arbor in fruge dignos-  
citur? nescis, quia, quod in radice celatur, in ramis  
declaratur? August. Homil. 48. cap. 1. inter 50. Gra-  
vius aliquid contra hanc doctrinam juratissimi il-  
lius & Societatis hostes pronuntiare ausi non fue-  
runt, iniquitatis filii, & scurræ infames, Mon-  
taltius, Wentrochius & similis farinae socii)  
Verùm (ita Caramuelem pergit citare Terillus  
„se opposuerunt viri probi & docti (quales etiam hìc  
Coloniæ invenientur, qui se murum opponent  
„pro sana doctrina in Ecclesia Dei) illumque (sci-  
„licet Fromundum) Ego Caramuel) impugnavi,  
„quando detractâ larvâ, quò illa doctrina tende-  
„ret, rimari licuit (pergit Terillus ut sequitur)*

2. *Cùm autè heresis Janseniana (advertat Lector)  
doceat aliqua Dei præcepta esse hominibus justis im-  
possibilia, idque ex eo potissimum probare contendat  
Jansenista, quod Deus strictè exigat, ut homines  
omnia naturalia præcepta sub poenâ damnationis  
aeternæ reipsâ impleant; inde statim inferunt, igno-  
rantiam etsi invincibilem non excusare à peccato, si  
aliquid re ipsa fiat contra legem naturæ; adeòque nec  
ullam probabilitatem posse sufficientem excusationem  
afferre, modò quis reipsâ ponat, quod Deus lege  
naturæ vetuit. Ecce Jansenismus necessario infert  
probabilitatem non excusare à peccato, saltem circa  
objecta*

*objecta, quae jure naturae sunt prohibita. (Invincibilem ignorantiam excusare à peccato, ex definitionibus Ecclesiae satis constat: dicendum itaque erat Paternitati Vestrae omnem ignorantiam Juris naturalis esse vincibilem, ut manuteneri possent Theses istae Libertinae. Ulterius etiam progressa Paternitas Vestra nec in legibus quidem positivis divinis ignorantiam invincibilem admittit.*

3. *Proinde (refero formalia Terilli) rectè dicitur, hanc sententiam (Probabilioristicam) aliam matrem non habere, quàm Heresin Jansenianam: cujus turpem filiam aliqui fucò exornant (allegatis pro eâ Authoritatibus Doctorum Ecclesiae) ut ita homines minùs aversentur turpissimam matrem. (dixit.) fucum & plumas alienas detrahemus corniculæ probabilioristicæ in capite tertio. nunc*


4. *Pergat audiri Antonius Terillus. Post divulgatum Jansenii Augustinum Liber ille in Gallias illatus unà secum lamentabile schisma in florentissimam Ecclesiam gallicanam invexit. Post Jansenium verò ab Innocentio X. condemnatum, Jansenistae in Gallia summo nisu insurrexerunt contra usum doctrinae Probabilis, unàque contra Societatem JESU plurimas calumnias sparsere, illamque infamare sategerunt, eo nomine, quòd doctrinas morales laxas & animarum saluti periculosas traderet (qualis potissima est, quæ propositionum damnatarum & omnium laxitatum radix hodie pronuntiatur)*  
itaque

itaque in Gallis simul & Belgio bellum Societati indicebatur.

5. Quidam verò Ludovicus Montaltius animosior in Societatem factus Anno 1656. totum Ordinem nostrum diffamare aggressus est libro edito, quem inscripsit Epistolas Provinciales, qui libellus famosus & Jansenismo gravidus; pro tali enim & Romæ damnatus, & Authoritate Parlamenti Aquissextiis Carnificis manu flammis datus est; moralem Societatis doctrinam incusat, quasi illa non aliud esset, quàm opinionum noxiarum, scandalosarum, & tranquillum Reip. statum perturbantium congeries (radix propositionum damnabilium & omnium laxitatum &c.)


6. Interpellat Paternitas Vestra; quod coram Concilio quoque Sacræ Facultatis pro deputatione Aulæ doctoralis congregato objecit mihi; hæc à me citari ad invidiam conciliandam suis libellis. Fateor, Eximie M. neque ad invidiam duntaxat, sed, quantum in me est, ad promeritam damnationem tam injuriosæ centuræ, quæ nos & doctrinas nostras ferire præsumpserunt crudi isti & incocti libelli. Progenitores & Patroni probabilisticæ hæctenus adducti sunt, super quibus nescio utrùm gloriari possitis: in alios inquiramus, si fortè Patronos & fautores ipsius reperire sit viros bonos vel pauculos, id est tales, quorum autoritas sit omni exceptione major.





## S. S E P T I M U S.

*Uterior probabilioristica progressus  
exponitur.*

I.  X his ergò, qui ætate hæc nostrâ li-  
bris editis propugnârunt probabi-  
lioristicam, præter suprâ attactos  
præcipui sunt, Ecclesiastici status  
Viri *Joannes Sinnichius Doctor Lovaniensis, Prof-  
per Fagnanus nobilis Canonista, Stephanus Gradus  
Vaticanae bibliothecæ Præfectus, & Salisburgensis  
quidam Theologus sub assumpto nomine Wendro-  
ckii.* Item religiosæ familiæ ex Illustrissimo Ordi-  
ne S. Dominici *Vincentius Baronus, Julius Mer-  
corus, Joannes Baptista Gonet, quibus addi potest  
Jacobus à S. Dominico : & ex Carmelitis Dis-  
calceatis, Pseudophilaethes.* Prætereo paucos alios  
haud multùm celebres Juris Consultos, qui se  
extrâ forum suum controversiis Theologicis in-  
truserunt, exercito Magisterio, antequàm fierent  
Discipuli. Ubi iterùm suppono, quod memini  
suprà, ut probabilitas stricta & certa concilietur  
sententiæ alicui, præsertim morali, tria meritò à  
Doctoribus requiri. Scilicet primò non vulga-  
rem, sed *excellentem peritiam* in ea materia, quam  
non obiter, sed accuratè pertractent. Secundò  
non superbiâ præceps, nec præjudicio vel affectu  
in al-

in alterutram partem præoccupatum, sed modestum, *maturum & prudens iudicium*. Tertio *Vitam laudatam, & morum Christiano dignam integritatem*. Quibus ita prænotatis, videamus, quam auctoritatem opinioni probabilioristicae hi tales conciliare possint.

2. *Sinnichio* tribuit hanc laudem Paternitas Vestra, quod scripserit *Opus, cui Titulus Saul Ex-Rex & Goliathismus profligatus, à pluribus Viris doctis probatum, & à Librorum Ordinario Censore approbatum*. Respondeo me ex hoc elogio satis præsumere, quòd opus non inspexerit Paternitas Vestra, aliàs infamem Religiosorum hostem & inverecundum Calumniatorem vituperio digniorem æstimasset. *Scommatibus non decertat Vir bonus*.

3. *Prosperum Fagnanum, Illustrissimum* vocat Paternitas Vestra *& laudibus celebratum à plurimis gravissimis Viris*. Fateor equidem; & veneror Virum: propter singularem imprimis sacri juris peritiam, tum & ingenuum animi candorem, quo fatetur, se nunquam studuisse Theologiæ. Tametsi tamen plusculum & supra mediocritatem in Theologicis profecisset, parùm potest commovere ejus auctoritas, utpotè Viri non satis consequenter locuti & ex propriis suis assertis argumenta diluentis, quibus nos gratis oppugnat. Taceo præoccupatum affectum & scommata, quæ in immeritos jacit. Paupertatis indicium est in materia præsentis probabilitatem emendicare à talibus.

4. Pro autoritate *Stephano Gradio* concilianda allegat Paternitas Vestra, quòd Magister Sacri Palatii jusserit imprimi ejus libellum, in quo disputet modestè cum Honorato Fabri. Judicet prudens Lector, quàm disputet modestè. Ita habet: *Providendum est vir optime* ( Honoratum è Societate alloquitur ) *ne remedium, quod adhibetis, sit ipso malo, cui obviamitis, nocentius. Vos jure probabilitatis à vobis privatim condito, & ante vos Authores; de Probabilistis in genere loquor* ( ut præter Jesuitas & alii tangantur ) *in foro & in judiciis inaudito, in ipsam omnis juris & omnium legum arcem invaditis: unde periculum est, ne asyllum quoddam omnis licentiæ aperiatur, ex cuius turba omnis generis mortalium accursu collecta Babylon aliqua confusionis existat. Adeò namque latè patere persuasum est novam hanc de opinionum probabilitate Philosophiam, ut eà freti passim homines ad agenda, quæcumque ad manum veniunt, profilire non dubitent, certa cum spe, non de futurū telum ex instructissimo probabilitatum armamentario depromendum, quo se a rimâq; salutem expediant. Cui certè vitio non adeò pateret aditus, si tam vilis non esset annona bonæ mentis & honestatis & officii. Scilicet hæc modestè dicta sunt in Jesuitas & Probabilistas, nè eadem in nos immodestiùs citasse videretur Paternitas Vestra in utroq; suo libello *De Radice*. Autoritas ejusmodi Scriptoris nec tenuem quidem & creperam, etsi crepet, conciliare potest doctrinis vestris probabi-*

babilitatem : præsertim cum Libellus ejus contra Honoratum haud magnam sapiat doctrinam theologiam.

5. *Wendrockii* nomen indignum æstimavit Paternitas Vestra appensione in suo libello. justum judicium. Montaltio petulantior Scurra est.

6. *Vincentium Baronum* peto non excusari ; multò minus tantoperè commendari à Paternitate Vestra. Pacis causâ prætereo, ob quæ justo prudentis judicio comprobetur, nullam penitus huic viro attribuendam auctoritatem in controversia præfenti & pluribus. Quicumque *Sua-rem* doctrinâ & religiosâ modestiâ incomparabilem virum carpit *ut inverecondum* : *Vasquez* ab universo Complutensium Doctorum senatu, pro Doctrinæ perspectæ oraculo proclamatum, deprimit *velut debilem* : *Lessium* virtutis & eruditionis laude celebratissimum, *novitatis* infimulat : *Bellarmino* tot nobilissimarum palmarum fortissimo & integerrimo pugili fœda exprobrat : Qui *Molinam* arguit *irreverentia* in Divos Augustinum & Thomam : *Toletum* accusat, quòd *Commentaria in Aristotelem ex Soto* fuerit furatus. *Valentiam* scribit *insipienter locutum* : *Amicum* non defendere *personam viri catholici* : (Taceo his graviora & propè innumera :) non est vir bonus.

7. *Julio Mercoro* illustre in dictatis Scholasticis testimonium dedi ex *Antonio Terillo*, *doctrinæ ac modestiæ*. Quod tamen constanti & manifestæ

hominum experientia tam fortiter contradicat pro fancienda Probabilioristica vestra, probare non possum, dum negat intellectum assentiri posse minus probabili, eò quod hic instar bilancis in æquilibrio constitutæ, eam in partem inclinari non possit, cui levius rationum pondus incumbat. Quod falsissimum esse evidenter comprobabo infra. Cætera quoque argumenta, quæ adducit contra nos, facile solvuntur. Patebit ex responsis, quæ dabimus ad objecta ipsi & Paternitati Vestræ communia.

8. *Joannem Baptistam Gonethum*, tametsi mentis impetus subindè abripiat in præsentia materia, æstimo tamen & veneror in paucis. Sed rationibus tamen suis vulnera non facit probabilistica. Quæ fortiùs movet argumenta contra nos, etiam Paternitas Vestra movit: claras responsiones & solidas promitto.

9. *Jacobus à S. Dominico*, quo usà fuit Paternitas Vestra, uti apparet ex libellis super Radice, multa, fateor, exprobrat Probabilisticis, sed nihil solidè probat. Quicquid rationum adducit, refutabitur in objectis à Paternitate Vestra.

10. *Pseudophilalethes* (quem germanum *Philalethen Eupistinum* vocat Paternitas Vestra, sed malè; cùm per imposturam sibi attribuat nomen competens *Jacobo Piatelio Soc. J.*) quantus Vir sit, ostendit *Franciscus de Fourmestraux in justâ defensione adversùs convitia & imposturas ipsius*:  
immò

immò & proprius suus modestissimus Ordo; cum ad similia audenda silentium ei deinceps imposuit. Neque iste patrocinari potest, ex iusto prudentis iudicio Probabilioristicae vestrae.

II. Atque hæc, ut paucis notarem, æquitas postulavit. cum enim doctrinis & factis censurationibus suis velit Paternitas Vestra conciliare auctoritatem à Doctoribus, quas non potest defendere iustis rationibus, ostendendum erat, eatenus eam deficere, quatenus vel doctrinae soliditas, vel maturitas & integritas iudicii, animique passio in citatis Doctoribus eclypsin patitur. Si enim constiterit ( verbis Terilli utar in probabilioristicos Doctores ) doctrinam aliquam animo alieniore, aut passione mentem turbante, scripto traditam, typisque mandatam fuisse: Si certum sit, eandem non dissimili impetu hodieque in animis quorundam conservari, iisdemque studiis & quasi factiosis progressibus discipulorum mentibus imprimi: & contrariam omnium Scriptorum communem sententiam, & quasi Societati propriam, in ludibrium Ordinis & contemptum Doctrinae, buccis crepantibus ab adversariis animosè depradicari notum fiat; eo ipso Authorum illorum auctoritatem languere, & ad probabilitatem suis assertis conciliandam, parum aut nihil momenti habere, certum erit. Quia evidens præsumptio est eos ex passionis impetu mentem turbante, non ex sincero veritatis studio, ac, ut viros peritos & probos decet, sententiam suam protulisse. ( & paulò post )

Evidens est, & flens dico, primos Authores, acriter fautores, & seduliores promulgatores opposita doctrina; paucos excipio; homines esse ac fuisse aut novitatibus addictos, aut hæresis Janseniana certissimos Fautores, eâdemque fortè infectos: sed potissimè constat, plures eorum, ne dicam ferè omnes, malevolentissimo, ac amaro nimis animo in Societatem JESU, ejusque Authores affectos fuisse, & hanc de sequenda opinione probabili, tutiore relictâ, sententiam tanquam crimen intolerabile, & doctrinam animis Christianorum perniciosam (velut radicem sceleratam damnatarum propositionum) in opprobrium Ordinis, in ejus Authoribus, ubique obviam & quasi propriam, ut caput accusationis non insimul protulisse. Atque utinam aut eâdem, aut non multò inferiore animositate & malevolentia, questionis causa hodie apud multos non conservaretur, & propugnaretur in audientium animis. Verùm oppositum ejus, quod cupio, nimis apertum est in oculis eorum, qui sincero animo, quæ per mundum in hac materia geruntur, circumspiciunt. Ita ille. Nihil habeo, quod addam.



RESPON-




RESPONSIONIS  
 APOLOGETICÆ  
 CAPUT II.

Gravis Authoritas & soliditas do-  
 ctrinæ probabilisticæ o-  
 stenditur.

---

§. PRIMUS.

*Evidente Syllogismo demonstratur li-  
 citus usus doctrinæ probabilisticæ  
 in dubio juris.*

I.  On existimet Paternitas Vestra, quasi  
 argumentorum velut militum in  
 longam aciem digestorum Ordine  
 ac multitudine irrupturus sim in  
 castra Philistinorum : paucitatem requirit Epi-  
 stolaris velitatio. Duo argumenta præcipuè ve-  
 lut *Jonathan cum armigero* opponam ; omine  
 prospero ; quia non cessat nos provocare Paterni-  
 C 5 tas



tas Vestra, ut ostendat nobis rem. Qui plura exercitus probabilistici agmina desiderat videre, consulat doct. ssimos & recentissimos Authores *Esparsum, Fabrum, Terillum* & alios plures è Societate, qui ex professo omnia adversariorum nostrorum argumenta examinant, eorumque inanitatem solidissimè explodunt, & argumentis fortissimis oppugnatosevidenter convincunt: ut sanè mirum videatur, inveniri paucos, qui lectis talium Doctorum opusculis dubitare audeant, ne dicam contradicere doctrinæ tam sanæ. Cum prædictis verò modernis Authoribus ita unanimiter in eundem sensum conspirant alii è Societate Doctores, ut probabilisticam velut propriam Ordini doctrinam complectantur (tametsi in ea tuenda diversas omnino vias ingrediantur) extra prædictam verò societatem, Thomistas etiã & Scotistas invenire est, ex omni statu & ordine, quos nullo certo numero possis comprehendere, ut paulò post ostendam. Quorum operosâ perrotatione Lector ne fatigetur, his paucis ego multa, & quasi in nuce Iliadem complectar. Ecce *gladius Jonathanæ.*

2. Quando sapientes viri innumeri, ex omni statu & ordine, in jure naturali, & divino humanoque positivo maximè versati, prudenter judicant & pronuntiant sinè ulla ambiguitate, legem vestram probabilioristicam esse omnino fictitiam: & omnino evidenter constat, promulgationem ejusmodi legis vestræ debitam & sufficientem


cientem non esse factam : & insuper viros passim maximè timoratos ac doctos nullius vel minimi peccati conscientia arguit , quantumvis in dubio juris probabilisticæ nostræ se conforment , tunc non potest vir intelligens & prudens passim omnium conscientias gravare , & peccati mortalis condemnare ex eo , quòd probabilisticæ se conforment : neque insuper ullus poterit sinè insigni temeritate & aperta contumelia , fœdis & enormibus censuris tot præclarissimos viros ac Doctores probabilistas perstringere , ipsamque doctrinam eorum velut pestilentiorum omnibus propositionibus damnatis radicem publicè vulgaris iterùm iterùmque libellis & dissertationibus condemnare : atqui innumeri , &c. ergo. ponatur Syllogismus iste unicus in lance una , & libelli Paternitatis Vestræ in lance altera , & oculus inspiciat , utra illarum præponderet. Majoris propositionis perpendantur termini , & intellectui , qui vel tenuiter sapit ad sobrietatem , evidenter ejus veritas patefcet , in tantum , ut si fallat , universa concidat Theologia moralis. Libelli Paternitatis Vestræ negant minorem : hanc itaque probandam sumo ratione omnino certâ & evidenti per hunc & sequentes paragraphos.

3. Nè memoria lectoris fallatur , quatuor propono ordine probanda. Primum est , viros sapientestot ac tales pronuntiare fictitiam esse legem probabilioristicam vestram. 2.<sup>m</sup> est , id pronuntiarum ab iis omnino prudenter , 3.<sup>m</sup> evidenter constare

stare de non legitima facta promulgatione legis vestrae. 4.<sup>m</sup> viros doctos ac timoratos sine conscientia peccati se conformare doctrinae probabilisticae ad debitas limitationes restrictae, quas dedimus in praenotationibus, & amplius dabimus inf.

§. SECUNDUS.

*Minoris propositionis pars prima, seu  
Autoritas doctrinae probabili-  
stica ostenditur.*

I.  Pro hujus ostensione, tametsi ea sufficere videantur, quae in decursu capitis primi attigimus; inter quae istud in primis & singulari nota observandum venit, quod universae Societatis JESU Doctores, nullam ad hoc lege penitus restricti, sed solam evidentiam veritatis convicti, unanimiter conspirent: pauca tamen ad plenioram satisfactionem subnectemus, momentum scilicet ex *statera Saulis ex-Regis*, ad quam Recentior quidam *le maire* dictus appendit *Saulem ex-Regem Sinnichu*: ita habet *sect. 1. cap. 2. §. 1. n. 16. Licere sequi opinionem probabilem omissa tutiore & probabiliore est communissima Gravissimorum Doctorum sententia: quam, ut à generalioribus incipiam, Bartholomaeus de Ledesma de Sacramento poenitentiae d. 14. conclus. 5. dicit esse verissimam, & probari*

bari ex universali omnium, qui sic habent in practica. Sententiam eandem Stephanus Spinola opusc. de libera & prudenti agibilium electione in ipsa praefatione appellare non dubitat Recentiorum omnium calculo, & universali populorum usu confirmatam. De sententia eadem loquens Petrus Morinus lib. 8. de poenitent. c. 4. approbansque doctrinam Francisci Suarez, ait, sibi videri certum & evidens, quandoq; (scilicet in dubio juris) probabilia certis praeferrí posse. Hieronymus Garcias in sum. tract. 1. diffic. 5. d. 2. n. 5. ait communem & securam esse istam conclusionem. Pasqualigus Theatinus decis. 5. hanc sententiam, inquit, certissimam puto, & existimo in materia morali posse demonstrari. Angelus Bossius Clericus Regularis Barnabita tomo moralium variorum in appendice ad titulum, sic loquitur: non solum hodierni temporis scriptores, Theologi, Summistæ, Canonistæ & jurisperiti, & omnes publici Professores Theologiae moralis praefatam sententiam docent, sed etiam apud omnes Confessarios Seculares & Regulares, apudque quoscunque doctos & simul probos in toto orbe Christiano nihil magis decantatum, quam licitum esse in operando, sequi opinionem probabilem, dummodo sit verè probabilis, etiam minus tutam, ubi non agitur de valore facti, sed de sola honestate operationis.

2. Ex Gallia Isambertus exclamat: ita communiter Doctores. Ex Hispania Ludovicus Montefinus & Petrus Navarra & Gregorius Martinez:

hac

hac sententia est communis in scholis: est communior Theologorum. Ex Italiâ Martinus Bonacina, & Jacobus Ragius; ita communiter Theologi, iique, ut ita dicam, infiniti. ita omnes publici Professores Theologiæ. Denique ex Germaniâ Joannes Caramuel; illa sententia est hodie omnium. Erat verò communis hac sententia, antequam ullus Jesuita eam scripto tradidit. certè Vasquez, qui inter primos scriptores Jesuitas eam tradidit, non dubitavit affirmare 1. 2. d. 62. c. 4. n. 14. illam in scholis multò antè communem fuisse. Jesuitis præiverunt in hac doctrinâ celeberrimi Thomistæ, Bartholomæus Medina 1. 2. q. 19. a. 6. concl. 3. §. certè argumenta. Ludovicus Lopez. p. 1. instructorii, c. 120. concl. 3. loquens de Confessario absolvente juxta opinionem minus probabilem pœnitentis. Franciscus Victoria in summa de Confess. n. 177. Thomas Mercado de contract. lib. 2. c. 5. Dominicus Sotus in 4. dist. 18. q. 2. a. 5. §. unde ad argumentum. item l. 6. de justit. q. 1. a. 6. in fine. Dominicus Bannez citatus à sui instituti scriptore Barnaba Gallego, ne Sylvestrum quidem Cajetanum contraria docuisse contendit. Insignis Thomistæ Acatius de Velasco Tom. 2. verbo: Opinion probable, resolut. 36. sed nec posteriores Thomistæ illam sententiam amplectendo secuti sunt Jesuitas. non habent isti hunc morem, subsistunt enim per se &c. qui plura velit, consulat locum citatum.


3. Audeo autem dicere, quod Paternitas Vestra laboratura sit, ut suæ opinionis patronos inveniat

veniat viros bonos, vel pauculos simplici numero comprehendendos, quorum scilicet, ut supra dixi, autoritas omni exceptione major sit ob singularem *virtutem, iudicium, doctrinam*. Ego certe, quod sine invidiâ dictum volo, vix unicum hactenus reperi, cui hæc tria cum excellentiâ suffragentur. Quæ ratio autem impulerit Paternitatem Vestram, ut se horum talium, qualiumcumque manipulo conjungeret, potioribus ac melioribus desertis, haud capio fati.

4. Si Lectori sit curiositas penitus cognoscendi, qui & quales viri gravissimi præter Societatis totius Doctores & supradictos tueantur nostram doctrinam, consulat *Terillum*. Auctores ipse probabilisticæ Patronos, universim omnino supra ducentos tum veteres, tum recentiores recenset, plerosq; à seipso, ut testatur, in hac materiâ inspectos: item *Sarasam*, qui centum quinquaginta eorum enumerat. Alii alios: inter quos *Abellus* producit Patriarchas, Archi-Episcopos, Episcopos non paucos. super his etiam consuli utiliter potest *Stephanus du Champ supra citatus*. Huc pertinent, quæ ex testimonio *Antoni Terilli* supra adduximus de ortu & progressu opinionis probabilisticæ. Nec pluribus opus ad convincendum sobrium prudentis intellectum.


\* \*  
\*

§. III.



## §. TERTIVS.

*Pars secunda propositionis minoris  
probatur.*

I.  Quid verò etiam prudenter pronun-  
tiant Viri isti Catholici & docti,  
non extare legem probabilioristi-  
cam, quomodò potest in contro-  
versiam vocari? nunquid offendetur Paterni-  
tas Vestra, & acriter in me insurget, si pronun-  
tiam, quòd imprudenter scribat & sentiat  
cum paucis & talibus, contra tot ac tales in-  
comparabiles ac præstantissimos Doctores,  
quando imprimis nihil solidæ rationis afferri po-  
test pro vestra sententia? & quomodo audebit as-  
serere, virorum probabilistarum, toc ac talium  
Doctorum suffragiis frequentata, tamque vali-  
dis rationum argumentis stabilita iudicia impru-  
denter formari? an aliud quidpiam est actu pru-  
denter judicare, nisi juxtà rectam rationem hìc &  
nunc sententiam proferre? juxtà rationem verò  
hìc & nunc sententiam ferre quid aliud, nisi as-  
sentium præbere ob motiva gravis simpliciter  
momenti, idque post examen veritatis debite in-  
stitutum sine passione, præoccupatione, partium  
studio? Atqui sic judicant & judicârunt isti:  
nisi fortè nôrit Paternitas Vestra eos pravâ ani-  
mi in-

in inclinatione præpediri, ut nolint verum videre: aut cæcitate percussos esse, ut non possint; adeòque sint *sine consilio* & *sine prudentia*; vos autem soli sapiatis. Neutrum sanè, per salutem Pharaonis! aut fortè etiam viri isti aliter in animo sentiunt, & aliter foris loquuntur & scribunt? Apage. Evasio hic nulla. *Non potest non esse prudens & integrum iudicium*, inquit Innocentius, *quod plurimorum* (imò innumerorum tot ac talium) *suffragiis comprobatur*. Monet quoque *Symbolum Pythagoræ*, *extra viam publicam ne deflexeris*.

2. Atqui ad prudentiam (ita inquit P. tas V. ra Dissert. 3. pag. 158. ex 2. 2. q. 53. a. 5. Divi Thomæ) pertinet præferre majus bonum præ minori, & ad imprudentiam pertinet desistere à meliori. Unde si operans juxta minus tutam & minus probabilem, imprudenter agit præferendo minus bonum majori; multò imprudentiùs agemus nos, docendo quòd liceat sic operari. R. Quòd ad imprudentiam pertineat desistere à meliori, si debitum hoc sit haberi, vel præceptum, uti debita est & præcepta constantia in observandis mandatis, de cujus constantia defectu loquitur expressè D. Thomas loc. cit. Verùm ad imprudentiam non pertinet desistere à meliori, si hoc debitum vel præceptum non est, ut patet, quia *Virgo non peccat, si nubat* 1. Cor. 7. & tamen desistit à meliori. Si autem non peccat, quomodo agit imprudenter, licet agat minus prudenter, quàm si non nuberet?

D

habet




Habet prudentia gradus suos, ut vittutes aliæ: nec obligat Deus ad prudentiam summam, sicut nec ad optimum vel perfectissimum. Ex quo &

3. Patet responsio ad hoc, quod P.<sup>tas</sup> V.<sup>ra</sup> objicit, docentem & operantem probabilistam se exponere periculo; quia sic etiam docens & operans juxta minùs tutam, licet probabiliorem, non operaretur prudenter, quia etiam periculo se exponit. Sicut ergo respondet Paternitas Vestra, illum, qui docet & operatur juxta probabiliorem, licet minùs tutam, se solùm exponere periculo materialis transgressionis, ex quo non præcisè debeat operans imprudentiæ argui, ita & nos. Esto itaque, non operetur prudenter, qui se periculo exponit, si hoc temerè, si sinè causa, si sinè spe evadendi &c. faciat; potest tamen prudenter operari, si hoc faciat sinè temeritate, cum honestâ causa & spe, imò certitudine evadendi. Quod nisi ita est, nunquid Apostolus ( ut de Regibus, Principibus, Militibus, Mercatoribus taceam ) erit imprudentiæ arguendus, quod se *periculis fluminum & latronum, & falsorum fratrum* objecerit? itemque imprudentiæ arguendi, qui in ipsa lupanaria non sinè periculo etiam fortè proximo peccati formalis ingressi sunt, ut ex fordibus animas graviùs periclitantes extraherent, quas & feliciter extraxerunt?

4. Urget Paternitas Vestra. *Prudentia est virtus intellectualis, qua essentialiter fertur in verum:*


rum: ergo ubi juxta minus probabilem procedendo erratur à lege, ibi non est prudentia. R. primò, retorquendo circa eum, qui juxta probabiliorrem procedens & deserens tutam oppositam, errat à lege. Resp. 2. Negando suppositum consequentis, quod scilicet juxta minus probabilem procedendo erretur à lege; cur enim sic procedens magis errat à lege, quàm procedens juxta probabiliorrem? an opinio probabilior semper vera? dicendum igitur quod prudentia essentialiter feratur in verum, uti hoc est in intellectu hic & nunc inculpabiliter operante, & non aliter. Aliàs enim imprudenter egisset, & peccasset etiam Jacob cognoscendo Liam, quam putabat esse Rachelem. At qui prudenter egit cognoscendo, quia inculpabiliter judicabat esse suam. Quid potest ad hæc opponi ab eo, qui ad pugnandum intellectibus provocat?

5. Ex quibus sic brevius contendo: qui sequitur tot ac talium prudentium de Doctrina Probabilistica unanime suffragium, vel errat in suo judicio, vel non errat: si non errat, quomodo peccat sequens veritatem? si errat, manifestum & evidens est, quod invincibiliter erret, quia debite veritatem inquisivit, & ex motivis gravissimis, totque ac talium Doctorum omni exceptione majorum suffragiis, & consequenter absque temeritate & imputabili negligentia, adeoque & sine imprudentia licere judicavit: ergo non peccavit. Error enim invincibilis juxta omnium Catholicorum doctrinam, excusat non solum à tanto, sed etiam à toto.



## S. Q U A R T V S.

*Fusiùs deducitur præsens argumen-  
tum.*

I.  Tricitiùs autem procedendo hunc syllogismum deduco: Hoc mihi certò licet, de quo evidenter, & certò, adeòque prudenter judico, quòd liceat: atqui sequens opinionem absolutè & certò probabilem, certò & evidenter, adeòque & prudenter judico, quòd hoc liceat, ergo hoc certò licet. Major est certa, quia est principium synderesis ex directo principio, quod dicat: *Declina à malo, & fac bonum.* Minoris veritas ex definitione strictè & certò probabilis, manifestè apparet: quia hoc certò & evidenter adeòque & prudenter judico esse licitum, quod ex gravibus motivis intrinsicis & autoritatibus irrefragabilibus esse licitum judicant viri ingeniosi, prudentes, timorati, post diligentem ac debitam veritatis inquisitionè. Virorum autem doctorum, prudentum, timoratorum judicio suum submittere est virtutis actus, qui semper est prudens. Quod qui negat, pertinaciam præoccupati & pugnacis intellectûs palàm ostendit, & contra monitum Christi: *Nolite condemnare:* omnes illos peccati & gehennæ reos condemnat, qui conscientiam

scientiam suam gravissimorum actimotorum Doctorum sententiæ conformant. Quantulum spei pro salute relinquatur tot infirmis hominum conscientis, si hæc principia tenent?

Atque huic argumento nihil invenio, quod opponat Paternitas Vestra in suis libellis, nisi quod provocet ad Divum Augustinum & Divum Thomam, à quorum latere cadant mille & decem millia. Verùm elisa est hæc evasio per superiùs dicta.

2. Ultimum evadendi remedium quæritur ex eo, quod dictamen saltem practicum evidens non possit deduci ex merè probabili, adeòque nec dictamen prudentiæ: Atqui imprudenter operatur, qui operatur sine dictamine prudentiæ, si liberè operetur. Resp. 1. retorquendo: idem enim argumentum solvendum est V.ª P.ª, quæ, ut sæpiùs dictum est, sustinet licere sequi opinionem probabiliorem, licet minùs tutam. Resp. 2. Etsi dictamen prudentiæ practicum evidens non possit immediatè & proximè deduci ex propositione merè probabili de inesse solitariè & directè sumptâ (quales sunt hæ: *Clericus tenetur ad restitutionem bonorum sui Beneficii in usus profanos impensorum: Clericus non tenetur ad restitutionem bonorum sui beneficii in usus profanos impensorum*: quam utramque supponamus certò probabilem esse,) uti utraque reverà est tum ex motivis gravibus, tum autoritatibus Doctorum pro hac & illa stantium, nec contrariam ut impro-

babilem censurantium) etsi, inquam, ex harum  
 neutrâ immediatè & proximè deducatur dicta-  
 men prudentiæ evidens, cùm neutra sit evidens &  
 certa (idem est in aliis) hoc tamen non obstat,  
 quin dictamen prudentiæ certum & evidens ex  
 hac vel illa præsupposita deduci possit mediatè &  
 remotè, mediante scilicet propositione modali,  
 seu de modo quasi reflexè sumptâ, quæ scilicet  
 pro objecto suo immediato non habeat Clerici nu-  
 dam obligationem, sed certam sententiæ utrius-  
 libet probabilitatem; qualis propositio hæc est:  
*Opinio docens Clericum non obligari ad restitutio-  
 nem bonorum sui beneficii in usus profanos impen-  
 sorum, est probabilis*: quæ propositio quia est certa  
 & evidens, quidni cum aliâ præmissa item certa &  
 evidente, fundare possit conclusionem certam  
 pariter & evidentem? posse hoc satis apparet in  
 tali syllogismo: licitum est operari juxtâ judicium  
 certò prudens & sententiam doctorum & ti-  
 moratorum: atqui opinio docens non obligari  
 Clericum ad restitutionem, est certò prudens ju-  
 dicio, & virorum doctorum ac timorum  
 sententia, ergò licitum est operari juxtâ illam, in  
 quo ex majore evidente, & evidente minore de-  
 ducitur evidens conclusio, quæ vel ipsa pro dicta-  
 mine evidenti serviet, vel dictamen prudentiæ e-  
 videns ultimum & practicè practicum evidenter  
 inferet: si nimirum etiam evidens fiat, nullam  
 circumstantiam extrinsecam inhonestam, hic &  
 nunc actioni tali vel tali supervenire, quæ illam  
 secun-


secundum se honestam, per accidens & extrinsecè peccaminosam reddat.

3. Et hæc ratio est, propter quam D. Thomas, Bonaventura & similes, si quando sibi invicem fortiter contradicant, non tamen propterea damnent, neque peccati conscientiam illi injiciant, qui opinioni oppositæ se conformat. Quorum incomparabilium Doctorum si æmulari non possumus doctrinam, imitemur modestiam. Synderesis principia vel ejuranda sunt, vel hætenustradita, in omni justo judicio subsistunt cum evidenti certitudine.

Si interroget me Lector, quales istæ sint rationes intrinsecæ, quæ tot ac talium Doctorum in Ecclesia pro approbanda doctrina probabilisticâ prudentem extorsent consensum?

Pro responsione sit





## S. Q V I N T V S.

Probabilistica rationibus positivis  
confirmatur.

1. **D**ICO, omnium solidissimam rationem & irrefragabilem (quam velut armigerum Jonathæ produco) occurrere ex eo, quòd durum & intolerabile jugum legis probabilioristicae pignet cum suavi jugo Christi & onere, quod imposuit Levi. Pater meus, inquiebat insipiens 3. Reg. 12. aggravavit jugum vestrum, ego autem addam jugo vestro. Pater meus cecidit vos flagellis; ego cadam vos scorpionibus. Minimus digitus meus grossior est dorso Patris mei. Grave scilicet jugum legis Mosaicae fuerat Judæis impositum, de quo loquitur Apostolus ad Galat. 2. quòd subintroierunt quidam explorare libertatem nostram, quam habemus in Christo *7* ESTU, ut in servitutem nos redigerent legis Mosaicae, cujus legis jugo si comparem id, quod lex probabilioristica imponit, dicere valeo in veritate, quia *digitus* legis hujus grossior est dorso Patris seu legis Mosaicae: ut ad aliud nihil & servire videatur, nisi ut populū fidelem avertat absterreat à jugo religionis Christianae. Quotusquisque enim, posset aut vellet ad obortam  
quam

quamcunque rationem licet probabiliorem, sed incertam tamen, de non legitimo e. c. jure domini sui, abdicare se bonis omnibus, post tam diurnam fidei bonæ possessionem; quorum solet appetitio tanta in animis hominum existere, quanta ad honestè vivendum necessitas? quotusquisque supra opes dilectam conjugem tot fortè annis thoro maritali gavisam & honestâ beatam prole, dubio suborto ex quacunq; ratione probabili, sed penitus incertâ, à thoro deinceps abigere, ubi novi in primis conjugii ineundi facultas omnis præcisa est? quotusquisque regno, principatu, magistratu, officio, statu, fortunâ cedere, ubi hæc deserere morte etiam sæpe gravius apprehenditur? quis denique in omnibus tam sæpe, & prope in singulos dies & horas, seipsum in rebus cuius hominum statui & conditioni obviis frangere, vincere, enecare?

2. Ecce vel ob unicam polygamiam lege nostrâ vetitam jugum Christi subire detrectant Reges ac Principes plerique Orientales, Asiatici, Turcæ, Persæ, Mogolenses, Tartari, Chineses, item Africani & quotquot infidelium nationibus Evangelium Christi novissimis temporibus annuntiat: quid facturos putamus, si legem vestram prædicetis? imò quot non meritò pertimescere possumus defecturos è converso fidelium cœtu ab aris Christi ad haras gentilium, schismaticorum, & hæreticorum, si sic agi secum intelligant? *qua nobis pars in David, vel qua hære-*



*ditas in filio Isai? vade in tabernacula tua Israel. l. e.*

3. Verbo, sapientium virorum iudicio lex vestra ad nihil nata est, nisi ut omnium hominum conscientias, timoratorum quidem omnino turbet, inquietet, scrupulisque & anxietatibus tantum non ad insaniam redigat; eorum vero, qui minus timorati sunt, etiam in desperationem salutis precipitet: omnium simul mentes perplexas reddat absque fructu & bono præponderante: quod est legem censei ex natura sua damnosam & nocivam bono communi reipubl. humanæ. Doceamus verbo, Eximie Pater, & opere exhortemur, servare decalogum & de quibus constat, præcepta Ecclesiæ: idololatriam fugere, parentes honorare, non furari, non mœchari, non falsum testimonium dicere, & quæ similia lege certâ intelliguntur esse prohibita. *Manifesta sunt opera carnis, quæ sunt fornicatio, immunditia, impudicitia, luxuria, idolorum servitus, veneficia, inimicitia, contentiones & his similia, de quibus prædicat Apostolus, quoniam qui talia agunt, regnum Dei non consequentur. ad Galat. 5.* ultra autem hæc iudicemus cum Apostolo non inquietare amplius eos, qui ex gentibus crediderunt.

4. Quid autem de eo dicemus, quod nè inter doctos quidem conveniat latè, ecquæ opinio sit magis aut minus probabilis? quid si hos imperiti consulant, & se in diversa trahi sentiant mandatis hominum, dum singuli abundant in suo sensu? non poterunt non horrendum lancinari miserorum

ferorum timoratae conscientiae. Possent hinc centenas opiniones probabiles recensere, in materia occurrente, pro omni hominum statu, gradu, conditione, de quibus, nec si per centenos annos studeat Paternitas Vestra, possit satis definire, utrae utris sint probabiliores. Cum definierit Paternitas Vestra pro hac, at pro ista definient alii. Remitto curiosum & doctum Lectorem ad problemata Escobarii S. J. supra quam requirat, satisfactionem habebit.

5. Quid item de ipsis Legum Doctoribus dicemus? Quod me sane concernit, sancte assero & juro, quod ad functionem Professoris in Theologia, aut curam tribunalis sacri, nullo hominum suasu aut imperio inducendus essem, pro cura salutis meae, si doctrinam Paternitatis Vestrae, non dico ut veram, sed vel ut probabilem agnoscerem. An non enim verendum foret, in tot ac tantis Doctorum contradictionibus, quibus vel ipsa Theologiae moralis principia in controversiam, uti fit in praesenti, vocantur, & tantum non a probabilioristicis vestris principiis penitus, si Diis placet, convelluntur (ut nihil dicam de innumeris periculosis doctrinis, quae ejusmodi fundamentis superaedificantur) ne aut arctius quam Deus velit, conscientias hominum astringerem & gravarem falsis doctrinis, alligans onera importabilia, & humeris hominum imponens, quae forte nec digito quidem ipse attingerem? atqui hoc est, regnum caelorum praeccludere:


autne solverem aliquod de mandatis istis minimis  
 (cū non detur ignorantia invincibilis juxta Pater-  
 nitatem Vestram juris, non solum naturalis, sed  
 etiam positivi divini) & sic vocarer *minimus in re-  
 gno caelorum*, id est juxta interpretationem Pa-  
 trum, dignus damnatione propter indulgentio-  
 rem doctrinam, quàm lex Domini permittat?  
 Neque viderem sanè, quomodo istud evaderem:  
*Cæcus si caeco ducatum praestet*, &c. Desistamus,  
 Eximie Pater, desistamus aliquando melioribus  
 argumentis persuasi docere *doctrinas & mandata*  
*hominum Matth. 15.* & iis flagellare conscientias  
 miserorum. Relinquatur jugum suave & onus le-  
 ve, tam legis doctoribus, quàm simplici &  
 devotæ fidelium plebi.





## S. SEXTVS.

*Continuatur præsens argumentum.*

I.  Ondum acquiescit Paternitas Vestra: pag. enim 108. inquit, *legens probabilioristicam omnino quidem duram videri; sed presumptuosis & nolentibus Deo voluntatem submittere; non tamen volentibus secundum iustitiam & voluntatem Dei dirigere gressus suos.* Obsecro, parcamus his: & nos timentes Dei sumus, & quasi timentes fluctus, ut cum Jobo loquar, expavescimus eum super nos: legem etiam ipsius studemus, ut spero, in toto corde implere & in tota anima. Det ipse nobis propitius gratiam copiosam, & quos incurrimus fragilitatum lapsus, facilis condonet. Utrum verò probabilistæ benigniores, an rigidiores probabilioristæ magis studeant *actus suos dirigere secundum iustitiam*, decideret aliquando justus iudex. *Quis te constituit iudicem? noli esse justus multum, neque plus sapias, quam necesse est, ne obstupescas Eccli. 7.* quem locum aptè ad rem nostram interpretamur cum *Gregorio Nazianzeno & S. Antonino*, contra eos qui nimium rigidas vivendi rationes sectantur; & multò justius contra eos, qui *vanis suis presumptionibus* tentant onerare conscientias aliorum & *conversationem fidelium onerosam reddere*, ut loquitur *D. Th.*

Videat

2. Videat etiam Paternitas Vestra, quàm malè sentiat de Deo, quando licere non negat probabilisticam nostram in jure positivo humano, non tamen divino. Cur non æquè in divino ac humano? utrobique enim dari conscientiam erroneam invincibilem nimis quàm apertum est. Si de legislatoris mortalis discretione & benignitate hoc meritò præsumitur, quòd nolit gravare conscientiam ullius, nisi subditus certò sciat legem esse latam: cur non jure potiori de legislatore supremo & immortalis, qui *supra judicium exaltat misericordiam*? immò cujus natura est ipsa benignitas? meminisse placeat quid testetur *benignitas salvatoris nostri Dei: si vos cum sitis mali, vestris data bona dare filiis vestris, quantò magis pater vester cœlestis?* quæso non in disceptationibus istis cogitationum deinceps, neque sic invicem judicemus aut censuremus, nè secundùm legem, quam aliis statimus, ipsi judicemur. (non opto hoc Paternitati Vestræ) *alium credit se manducare omnia* (licere scilicet operari juxta opiniones certò probabiles) *qui autem infirmus est, olus manducet Rom. 14: Et hoc judicate magis, ne ponatis offendiculum fratri vel scandalum.*

3. Sit tamen in Paternitate Vestra, quam veneror, sit ea religiosæ mentis in Deum erectio, ut pro ipsius honore etiam licitis sibi interdicendum putet, adjiciat consilia Domini in toto corde: sed parcamus populo fideli, *ne pereat infirmus in scientia nostra frater, propter quem Christus mortuus est*

est

est. 1. Cor. 10. qui enim persuasus à Paternitate Vestra discernit, si manducaverit, damnatus est, quia non ex fide. Omne autem quod non est ex fide, peccatum est.

4. Spero etiam, quod Paternitas Vestra bene & religiosè sentiat de doctrina illa, quam ex SS. Patribus excerptam Sanctissimi Ordinum Fundatores suis tenendam solent præscribere, quamque supremi in terris Vicarii Christi approbant, & universi ascetæ laudant; bonorum nemo culpatur: nimirum ut in *Epist. de obedientia docet S. Ignatius*, supremum perfectissimæ obedientiæ gradum consistere in hoc, ut quis non tantum velit facere, quod superior vult, sed ut suam intelligentiam offerat, ut non solum idem velit, sed etiam idem sentiat, quod superior, ejusque judicio subiciat suum, quoad potest devota voluntas intelligentiam inflectere. Quæ vis animi, scilicet intellectus tametsi non eâ, quâ voluntas pollet libertate prædicta est, atque ipsâ naturâ fertur ejus assensus in id, quod sibi veri speciem præbet; tamen multis in rebus, in quibus videlicet cognita veritatis evidentia vim illi non infert, potest voluntatis pondere (certam viri isti sanctissimi experientiam habent,) in hanc potius quàm in illam partem inclinari. Ex cujus doctrinæ & constantis experientiæ principiis facilè solvuntur, quæ speculativè objicit *Mercurius supra cit.* contra facultatem voluntatis prædictam.

5. Opponit autem ipse, quod intellectus noster sit instar bilancis in æquilibrio constitutæ, unde

unde

unde necesse habeat eam in partem inclinari, ex qua gravius rationum pondus incumbit. Respondetur intellectum esse bilancem, sed animatam & subordinatam imperio voluntatis in iis omnibus, in quibus non apparet ratio veri manifesta, uti in eâdem Epistola docet *S. Fundator Soc. 7 ESV*. Prout autem honestum erit vel inhonestum motivum voluntatis, ex quo assensus intellectui imperatur, juxta hoc etiam assensus dicetur honestus vel inhonestus. Quod nisi ita extra controversiam est, unde igitur judicia obstinata, temeraria, & hæretica? mitto hæc: nisi quòd unum addo ad hominem, scilicet *Mercorum & Baronum*. Utrum enim credunt sententiam esse probabiliorem, quæ Deiparam condemnat maculæ originalis, an eam, quæ immunem fuisse pronuntiat? nunquid gloriosa Christo & pia in Deiparam sententia, communissimo Ecclesiæ sensui est conformis, & unanimiter ab omnibus doctis & timoratis tenetur, idque per plura sæcula, si solos Patres Dominicanos excipiam? si tantâ existente, non dico certitudine, sed probabilitate istius piæ sententiæ, quâ nescio an major in aliis sententiis possit assignari, adhuc in potestate Patrum Dominicanorum est, oppositam sententiam tenere, quid veret idem in aliis posse contingere? si autem Paternitas Vestra arguatur cum imprudentiæ, qui relictâ probabiliore, sectatur minùs probabilem, quantæ igitur imprudentiæ necesse est ab eadem Paternitate Vestra condemnari.


demnari religiosi istius instituti viros? doleo, quòd adeò promptè subscriserint doctrinæ Paternitatis Vestræ in propriam condemnationem. Taceo de certis scholis, quæ mediante imperio voluntatis intellectum inclinant in eas sententias, quas Doctor quidam autoritate præstans tradiderit, non obstantibus quibuscunque rationibus, dummodò non evidentibus in contrarium. Definamus oppugnare ea, quæ per certam experientiam cognoscuntur, ne Philosophi censura in nos cadat, quam torfit in Zenonem, dum oppugnaret possibilitatem motûs.

6. Non volo hîc multis movere auctoritatem tot sapientissimorum Ecclesiæ Pontificum, qui contra opinionem certò tutam & visam doctissimis viris probabiliorem dispensârunt in votis solennibus, ut in Ramiro Arragoniæ, & Casimiro Poloniæ Regibus: itemque rata matrimonia dissolverunt, qualium Religiosissimus Pontifex Gregorius XIII. omninò undecim irritavit, non obstante, quod 2. 2. q. 88. a. 10. *D. Th.* & cum eo schola Thomistica, eorumque adhærentes, Pontificibus absolutè negent potestatem dispensandi in votis solennibus: & similiter *D. Bonaventura* cum suis, itemque *Scotus* cum suis & adhærentes eorum, omnino negent potestatem dissolvendi matrimonia rata. Volo item tacere de tot dispensationibus factis in tam vicinis gradibus consanguinitatis; &c.

Respondet quidē P. tas V. ra pag. III. *Si Pontifices*  
 *quandoque*




quandoque secuti fuerint sententiam minùs tutam  
 & minùs probabilem, non esse eos impeccabiles:  
 nobis autem non eorum facta, sed verba observa-  
 da esse. Verùm, salvo meliori iudicio, magis de-  
 cebat privatum Doctorem à sua sententia levi-  
 bus & difflabilibus ratiunculis fulta recede-  
 re, quàm tantæ imprudentiæ & temeritatis  
 aut gravioris etiam flagitii sapientissimos & san-  
 ctissimos istos Christi Vicarios condemnare,  
 quibus comparati omnes simul Probabilioristæ,  
 ne quidem quasi locustæ videbuntur. Ad ter-  
 tium accedamus.



## S. S E P T I M U S.

*Pars tertia & quarta minoris proposi-  
 tionis probatur.*

- I.  Emus nunc etiam Paternitati vestræ,  
 legem probabilioristicam non esse  
 tam arduam, tam observatu impos-  
 sibilem, tam nocivam hominum ge-  
 neri, in hac inprimis naturæ nostræ corruptione:  
 demus reperiri omnia, quæ ad legem requirit sana  
 Theologia & Jurisprudencia; at quamdiu tamen  
 legis debita promulgatio facta non est, tamdiu lex  
 non est juxta *D. Th.* & voluntas humana in posses-  
 sione libertatis relinquenda est; cum in jure ipsius  
 naturæ fundetur, quod *melior sit conditio possiden-*  
 tis. Et

ris. Et in Physicis constat *incertis causis certos effectus tribui non posse*: & ut Germani ajunt: *Ungelegte Eyer geben ungewisse Küchlein*. Dico autem confidenter & sine formidine, evidenter nobis constare de non sufficiente factâ promulgatione legis probabilioristicæ, & sic demonstro: istius legis debita & sufficiens promulgatio facta non est, quam viri isti tot ac tales fatentur se nullibi posse reperire, tamen sine animi passione, sine præjudicio, sine partium studio jura omnia naturæ, scripturas, Ecclesiæ Canones, Decreta Pontificum, doctrinas Patrum diligentissimè perlustrârint: atqui hoc fatentur, ut ex scriptis probabilistarum constat: ergo: quos simul omnes aut cœcitatibus aut perversitatibus in judicando condemnare, non est viri prudentis. In hoc certè doctorum & sapientium omnium doctrina conspirat, quòd tanta conscientibus hominum libertas concessa fuerit ab authore naturæ, ut nec infidelis damnandus sit peccati, qui nolit credere, nisi posteaquam credendorum ratio sufficienter fuerit exposita. Quantò igitur minùs erit condemnandus, qui nolit subjici legi vestræ tam intolerabili, nisi & latam & sufficienter promulgatam esse, meliùs & solidiùs probetis?

2. Ad hæc pag. 192. *dissert. tripl.* responderet Paternitas Vestra: *Qui dubitat, an lex de sequenda semper probabilioris & tutioris sit lata à Deo, illi sufficienter lex talis est promulgata: atqui opponens dubitat, &c.* Primò resp. majoris falsitatem con-

stare ex dictis. Libertas enim nostra manet in possessione, donec sufficiens facta esse legis promulgatio probetur. Unde invincibiliter ignorans legem probabilioristicam (quam demus cum suavi iugo Evangelii posse componi) potest sic aliquis argumentari: quamdiu non proponitur mihi sufficienter lex probabilioristica, tamdiu eam non constringor: atqui evidens est mihi legem probabilioristicam non sufficienter mihi proponi: ergo. Major convincit sobrium intellectum: minorem docet manifesta experientia in his, qui debitum examen præmiserunt, neque tamen legis lationem & promulgationem agnoscere potuerunt. Imò contrarium planè sequitur in propositione majori: quia si lex esset sufficienter promulgata, Doctores tot innumeri ac præstantissimi viri post inquisitionem veritatis adeò diligentem, deberent certificari de ea. Resp. secundò, negando minorem, & profiteor me scire, quòd debita promulgatio legis vestræ non sit facta: id enim sat evidenter concluditur ex assistentia Spiritus sancti promissa Ecclesiæ, qui non permisisset à tot retrò sæculis in principio Theologiæ moralis, tam universali & fundamentali, Ecclesiam adeò constanter & turpiter errare. Taceo de *jugo suavi*, quod non compatitur probabilioristicam vestram.

Idem aliter sic probo in forma strictiori: quia fieri non potest debita promulgatio, nisi aliqui saltem de ea fiant certi: atque nulli inveniuntur de ea certi; cum neque propositio hæc: datur lex probabi-

probabilioristica, sit principium primum, neque ex principio ullo per necessariam deductionem consequatur, neque ex ulla veritate revelata, aliâ-  
 veratione concludatur.


Si putet Paternitas Vestra ex principiis naturæ legem istam sufficienter deduci: cùm igitur juxta eandem Paternitatem Vestram non detur ignorantia invincibilis in lege naturali, fatendum erit, ut consequenter loquatur, omnino culpabilem fuisse innumerorum istorum Doctorum hallucinationem, idque ad peccatum mortale, quia error est in materia maximè gravi. Humana, humana inter homines loquamur, quæ intelligent Sapientes.

3. Instat: *si certum esset, non esse promulgatam legem probabilioristicam, ergo nec Pontifex posset unquam declarare, esse illicitum sequi opinionem minus probabilem, atqui potest declarare, ergo.* Resp. N. min. Neq; enim in potestate Pontificis est, imponere legem ullam populo Christiano, nisi suavem: *jugum enim Christi suave est, & onus leve.* Quando autem in dictatis posui: *Si fortè lex probabilioristica sit lata: accipio tò sit,* ut sæpè solet, *pro esset: ut fiat talis sensus: permisso etiam, quod aliquando promulgata fuisset lex ista, non posset tamè in hi stemporũ circumstantiis dici, quoad nos in præsentis obligandos, esse sufficienter promulgatam, posteaquam scilicet vestigia omnia promulgationis factæ periissent. Unde priusquam homines obligemus ad eam tenendam*

dam, exspectari oporteret declarationem Ecclesie. Citra hanc enim teneret doctrina D. Thomæ, quam §. I. c. I. adduximus.

4. Parsultima non indiget operosâ probatione. Quid sentiendum, prudenti & integro iudicio satis liquet ex testimoniis ipsorummet virorum doctorum ac timorum, fatentium, nihil scrupuli aut remorsus, quantum quidem atinet ad peccatum, solere se in conscientiis suis experiri, dum nolunt probabilioristicæ conformari. Dixi: quantum ad ad peccatum: quia experiuntur utique sæpè remorsum ex defectu abundantioris virtutis & perfectionis evangelicæ, ad quam Religiosi imprimis aspirare debent. Et hæc velut pro compendio allata sufficiant. Cùm Adversarii objecta ex autoritate & ratione tam copiosè adducta, dilucidè fuerint refutata, dabo iudicandum Lectori, quod æquitatis est.






RESPONSIONIS  
 APOLOGETICÆ  
 CAPUT III.

Refutantur, quæ adversarius ob-  
 jicit ex Authoritate & ratione,  
 contra sanctam in Ecclesiâ do-  
 ctrinam probabilisticam.

§. PRIMUS.

*Prænotantur quedam.*

- I.  Pro falsitate objectorum evidentius  
 convincenda, expediens fore vide-  
 tur, ut diversos Authoribus usita-  
 tos loquendi modos paucis expli-  
 cemus. Sciendum itaq; opiniones *speculative pro-*  
*babiles* dici, quæ objectum seu potius actionem  
 circa objectum in specie & communi spectatana  
 licere asserunt: *præctice autem tales*, quæ asserunt  
 actionem in individuo acceptam licere. Cujus expo-  
 sitionis

sitionis aliqui autorem faciunt Cajetanū; Joannes autem Sanchez in selectis disputationibus dicit sibi esse inintelligibile, quomodo in dicto sensu possit aliquid speculativè, & non tamen practicè haberi probabile: addit Franciscus Oviedus l. 2. tr. 5. controv. 3. p. 1. id quod dicitur de omni seu specie, dici etiā de quovis, quod continetur in illo. Dicendū igitur cum hoc citato Authore, *practicè probabilem* dici, quæ non solūm de objecto actionis individualis præcisè sumptæ pronuntiat licere, sed de ea etiam, ut vestitâ circumstantiis sibi extrinsecis & accidentalibus: quæ scilicet omnes sub moralis considerationem cadunt, omniumque honestas requiritur, ut operans simpliciter honestè operari intelligatur, juxta illud: *bonum est ex integra causa; malum ex quolibet defectu*. *Speculativè autem probabilem*, quæ præcisè de objecto actionis secundum se considerata pronuntiat, illud ratione sui præcisè non esse illicitum. Ita etsi *speculativè probabile* habeatur, quòd liceat citra noxam lethalem non avertere oculos ab aspectu vultus muliebris; & non reprimere positivè motus turpes præter intentionem naturaliter obortos; non tamen erit *practicè probabile* in iis circumstantiis, in quibus homo lubricus ex prava consuetudine assentiendi prævideatur in consensum pravum pertrahendus, nisi vultum avertat, aut motibus positivè obsistat. Idem est in aliis, quo pacto jam intelligibile redditur, in sensu allato, opinionem posse *speculativè probabilem* esse,  
 ut

ut non tamen sit *practicè probabilis*, seu ut hìc & & nunc talis.

Alii tamen cum *Layman lib. 1. tr. 1. n. 13.* sic opiniones probabiles distinguunt, ut speculativè tales pronuntient illas, quæ extra rationem liciti spectantur: ut sunt, quæ sufficere hæc aut illa ad valorem sacramenti, testamenti, contractus afferunt (& similia) præscindendo, utrùm licitè usurpentur nec ne. Sic *speculativè probabile* dicunt, aquam rosaceam sufficere ad valorem baptismi: nunquam tamen *practicè probabile* dicunt, quòd liceat in rosacea baptizare, quando copia est aquæ naturalis. Alii item *speculativè probabile* vocant id (quod probabile æstimatur ex auctoritate Doctorum: *practicè* autem probabile, quod ex rationibus intrinsecis. Alii adhuc aliter loquuntur. Sed non est nisi de voce contentio. Nos in primo sensu deinceps loquemur, in quo & accipit Paternitas Vestra. Si autem in iis, quæ certissimè per se licita sunt, potest hìc & nunc circumstantia reperiri, quæ faciat actionem penitus illicitam, miri nihil erit, si idem in probabilibus eveniat. Prius in Apostolo patet, qui illicitam sibi facit manducationem carniùm, si prævideatur cessura in ruinam proximi: quo casu *non manducabo*, inquit, *1. Cor. 13. carnem in æternum.*

2. Cum verò intellexerit Lector ex hæctenus allatis, quid à probabilistis, catholicis & doctis viris voce probabilis accipiatur, facile erit nosse discrimen inter opinionem *certò probabilem*, &



*solùm probabiliter probabilem*, quam admodum R. dus P. Joannes Paulus Oliva Praepositus Generalis S. J. *Creperam* vocat. paucis exponam : sit vir fide dignus, qui dicat, quod D. Thomas doceat, graviter lapsum obligari ad confitendum proxima datâ occasione. Ex hoc non nisi *probabiliter probabile* erit tibi, obligari graviter lapsum ad taliter citò confitendum, eò quòd solùm probabile sit tibi ex fide narrantis, quod D. Thomas ita doceat : Si autem inspexeris ipse certum textum, aut ex confirmatione authentica plurimorum certò compereris, D. Thomam sic docere, neque aliunde sit, quod Authoritatem D. Thomæ in hoc elidat, *certò probabile* erit tibi, graviter lapsum sic teneri. De quibus *certò probabilibus* solùm procedit doctrina nostra. Fatemur enim, quod abusuum, scandalorum, periculorum innumerorum fœcunda omnino materies foret, sustinere, quòd ad *certam probabilitatem legis* obligantis, liceret in oppositum operari ex *incerta probabilitate juris*. Si profectò è Catholicis Probabilistis foret quispiam ita *Vagus, Laxus, creperus* Theologus, ut talia auderet universaliter asserere, in hunc omnium argumentorum suorum tela, qualiacunque, contorqueat Paternitas Vestra. Sed neque tamen per hoc damnare intendimus simplices rusticanos, & horum similes, quibus ductum Pastoris oppidani, dummodo sufficiētis doctrinæ famam possideat, tam promptum est sequi, cum omni exclusâ formidine peccan-

peccandi, quàm nobis ad oracula Ecclesiæ Doctorum. Aliter vivere non didicerunt simplices isti, quibus relinquamus certam spem salutis, cum immediati Pastoris voci bonâ fide obedierint.

3. Certitudo autem probabilitatis apud viros doctos & timoratos per experientiam habetur evidentem, cum ritè omnibus perpensis sentiunt se trahi & inclinari ad assentiendum.


4. Utrùm verò unius Doctoris vel duorum sufficiat Authoritas, vel plurium requiratur ad faciendam opinionem strictam & absolutam probabilitatem, haud volumus hîc disputare. Quod doctissimus Villalobos unius etiam Doctoris iudicium sufficere contendat, nolo omnino improbare, dummodo cautelæ suprâ positæ serventur, neque obstant in contrarium Doctores, qui iudicent opinionem illam esse improbabilem. Tali enim casu præsumendum erit prudenter, aut passionem unius vel pauciorum intercurrisse: aut aliunde examen debitum non fuisse adhibitum. Neque huic doctrinæ obstat damnatio *propositionis 27. per Alexandrum VII.* facta, quæ sic habet: *si liber sit alicujus Junioris &c.* Dubium enim nullum est, quin junior & modernus quispiam prolabi possit ad temerariam assertionem.

5. Deprehendi etiam posse probabilitatem, imò & veritatem, quæ diu latuerat; aut e contra improbabilitatem, imò & falsitatem eorum, quæ

priùs habebantur probabilia, successu temporum experientia docuit. Sic enim velut probabilis habita est opinio, *quod solemnitas votorum esset de essentia status religiosi: quod esset iuris divini, non Ecclesiastici: quod in absentia sacerdotis teneretur moribundus confiteri Laico, &c.* & nunc tamen desierunt esse probabiles: Posterior quidem, post reclamationem omnium unanimiter Doctorum, & communem toti Ecclesiæ usum contrarium. Priores verò post Bullam *Greg. XIII. Ascendente Domino*: ubi ante omnem votorum solemnitatem & professionem, declarantur homines Societatis JESU esse strictè & propriè religiosi. Idem est circa *absolutionem absenti validè & quandoque licetè faciendam*: quam damnavit *Clemens VII.* Item circa *accipiendum pro eadem missa duplex stipendium*: quam damnavit *Alexander VII.* & quæ plura similia. E contra à multis pro vix probabili habita est, *potestas Pontificia dispensandi in votis solemnibus & matrimoniis ratis*: Nunc autem, si non certa, at maximè probabilis habetur, quàm toties usurpârunt Sapientissimi Pontifices.


6. Denique advertat Lector dici posse in suppositione usus liciti cujuscunque opinionis certò probabilis, nec periculum quidem peccati materialis incurri, quantum est respectu legis divinæ reflexæ, secundariæ, conditionatæ, & per accidens talis, quæ scilicet permittit fieri omne id, quod inculpabiliter nescitur esse prohibitum lege directâ, primariâ, absoluta & per se tali. Sic etsi quibusdam

busdam Martyribus lege directâ & per se tali vitium fuerit occidere se ipsos; permiffum tamen & licitum fuit lege reflexâ & per accidens tali, ubi inculpabiliter lex primaria & directâ ignorabatur. Et sic explicari potest *Honoratus Faber*, dum negat etiam peccati materialis periculum incurri per usum doctrinæ probabilisticæ. Si aliter minus tutæ opinionis ratio exponitur, in periculo scilicet peccati formalis, evertitur status controversiæ. Nunc ad rem.



## §. SECUNDUS.

*Respondetur ad argumenta ex D. Augustino adducta.*

I.  Uc oculos animosque optime Lector. Centrum tangitur, ad quod lineæ omnes concurrunt, quas ad mentem D. Augustini (si superis placet) subtiliter descriptas exhibent libelli super infami *Radice*. Hic Rhodus, hic saltus: in quo mihi negotium volo cum sola Paternitate Vestra, & causam habere sejunctam à suffragiis quorundam potenter patrocinantium libello Paternitatis Vestræ, de quibus relinquo formandum cordato Lectori iudicium.

2. Paternitas Vestra pag. 59. dissert. 1. super *Radice* nos oppugnat hoc tali argumento, quod  
repetit

repetit in triplici Dissertatione ( contractiore formâ utar ) *Si juxta illud, quod videtur probabile, agens non peccet, ergo licebunt omnia scelera: atqui juxta id, quod videtur probabile, agens non peccat: ergo.* Major propositio est D. Augustini lib. 3. contra Academicos c. 17. cujus, ut sæpè monet Paternitas Vestra, debet manere inconcussa autoritas. Minor autem, teste eâdem Paternitate Vestra, est ipsorummet Probabilistarum tam recentiorum quàm antiquorum, quorum juxta D. Augustinû illud axioma fuit: *cùm agit quisq., quod videtur ei probabile, nec peccat, nec errat.* Consequentia tenet: res confecta est: plaudite. Itane Eximie Magister? Quæro, si vis hæc probandi contra nos tenet, cur citiùs non tonuerit Vaticanum? Dudum oportebat è medio sublatam probabilisticam hanc morum pestem: ejusdemque Doctores veluti scelerum patronos, fautores, incentores, molari appenso demersos in profundum maris. Et iste quidem ex autoritate Augustini videtur esse Goliathus Paternitatis Vestræ, qui exiit hodie ad exprobandum agminibus Israël. Peto, ut liceat mihi jacere lapillum definitionis bonæ, quâ definivimus opinionem probabilem, & experiri, utrùm Goliathus iste pedibus insistet? pro pleniori rei evidentia, consulendum duco ipsum D. Augustinum, qui *cap. cit & sequentibus, & specialiter lib. 1. retractationum cap. 1.* exponit Academicos docuisse, quòd nobis omnia in hoc mundo essent incerta. Unde cùm  
turpe

turpe ducerent Viro sapienti, in iudicando labi & errare: eodem Augustino teste, dictitabant assensum rebus incertis præbendum non esse; sed omnia solummodò ut probabilia seu ut verisimilia habenda: huic enim iudicio nullum posse errorem subesse. *Per quod*, inquit S. Doctor, *invitabatur vir sapiens ad operandum sine assensu: sine assensu autem dico* (sunt verba Augustini l. 2. contra Academicos c. II.) *ut quod agimus non opinemur* (nos scilicet agere; aut certè id agere, quod turpe est) *aut non id certò arbitremur*, (opinionem enim & arbitrationem posset subesse falsum) *agamus tamen. Quæ si ita sunt, juvenis adulterando licitum aget, cum non erret nec peccet, qui agit quod probabile illi videtur, modo non opinetur* (se hoc operari quod operatur, aut id quod operatur etiam adulterando, esse turpe) *neq; scire se hoc arbitretur. Et sic omnia scelera poterunt apud sapientissimos iudices defendi. O verè detestabilem insaniam Doctrinæ Academicæ! & veram radicem omnium scelerum ac damnabilium propositionum!* in cuius principiis omninò sequitur, quòd probat S. Doctor; utrùm sequatur in nostris principiis, non video. Ad probabile enim opinionem nos requirimus, ut *motivo nitatur simpliciter gravi*, quòd scilicet virum doctum ac timoratum post diligens rei examen, possit ad assensum pertrahere. An fortè etiam docemus nos, *adulterium, incestum, parricidium*, & similia esse ex eorum genere, quæ per motiva probabilia possint pro licitis haberi? me audiat.

audisse memini temper à probabilisticis Doctõ-  
 bus Christianis, quòd ne levissima quidem cri-  
 minatio aut contumelia possit licere: qualis ta-  
 men levissima criminatio non est hæc Paternita-  
 tis Vestræ in Catholicos Probabilistas eorumque  
 doctrinam. Puto si delirantibus Academicis non  
 constabat certò de talium inhonestate; at nobis  
 tamè constare. Credimus enim corde, & ore con-  
 fitemur cum Apostolo 1. Cor. 6. *quia neq; fornicari-  
 ri, neq; idolis servientes, neq; adulteri, neque molles,  
 neque masculorum concubitores, neque fures, neque  
 avari, neque ebriosi, neque maledici, neque rapaces  
 regnum Dei possidebunt.* Fateor, vix credidi ocu-  
 lis meis, cùm vidi nos oppugnari hoc tali argu-  
 mento. Fucus tam palpabilis non decebat in san-  
 ctissimi Doctoris inconcussam doctrinam.

3. Advertit autem Paternitas Vestra Probabili-  
 stas istos veteres Ethnicos in duas abiisse sectas:  
 aliqui enim admiserunt inter rationes probabiles  
 seu verisimiles *inequalitatem, defectum, excessum,*  
 uti senserunt *Academici.* Altera fuit secta *Scepti-  
 corum,* qui inter rationes probabiles non distin-  
 guebant; sed volebant eas esse *æquales & adia-  
 phoras.* Contra illos ergo, qui sustinebant non  
 peccari neque errari, cùm quisque operaretur  
 juxta id, quod ei videretur probabile, cùm dice-  
 rent omnia esse probabilia, procedit argumenta-  
 tio Augustini. Talia autem principia, non dico,  
 nullus Christianorum, sed nec hæreticorum,  
 Schismaticorum, Turcarum tenet. Unde advertat  
 Lector,

Lector, quo jure Paternitas Vestra salvâ charitate & justitiâ, quam mihi inculcat, quosdam è nobis laxiores faciat istis antiquis ethnicis, qui sustinebant non esse operandum juxta minùs probabile; uti ex iis aliqui docuerunt.

4. Scio, quòd Lector suspensus hæreat, & quid à Paternitate Vestra ad hæc opponatur, avidè requirat. Nihil celabo. Cùm in dictatis ad calammum objecissem hæc formalia: *Quis unquam è Probabilistis Catholicis, tam fuit insciti calami, ut adulteria, &c. velut probabiliter licita defenderit?* Subjicit Paternitas Vestra hæc sequentia pag. 76. dissert. 3. *quàm sciti & quàm casti calami in ista materia aliqui fuerint, constat ex propositionibus proscriptis, imprimis ab Alexandro VII. v. g. ista: Mollities, Sodomia, & bestialitas sunt peccata ejusdem speciei infimæ: adeòque sufficit dicere in confessione, se procreasse pollutionem &c.* Deinde & ab Innocentio XI. Inter quas hæc citatur: *tàm clarum videtur fornicationem secundùm se, &c.* Non moveor his responsis, Eximie Magister; peto iterùm ad quæstionem responderi: *Quis è Catholicis Probabilistis tam insciti fuit calami, qui putârit licere mollitiem, sodomiam, bestialitatem &c.?* hæremus. O miser Augustine, quàm obtorto collo traheris, quò rapit exactor? te citat catholicus, te citat hæreticus, te citat Jansenista, an omnibus faves? patrocinaris omnibus? absit. Si quis Eximie Pater, per temeritatem eò prolapsus est, ut docuerit *mollitiem, sodomiam, bestialitatem esse*

F peccata



peccata ejusdem speciei infima, non tamen docuit licere. Maneamus in proposito. Non multum ab-  
 umilis tenoris erunt secutura argumenta.

5. *Huc quadrat* (ita pergit Paternitas Vestra) *exemplum mercatoris, cujus meminit magnus ille opinator Cicero de officiis lib. 2. sic discurrens: incidunt sæpè causæ, cum repugnare utilitas honestati videtur, ut animadvertendum sit, repugnetne planè, an possit cum honestate conjungi? exempli causâ, si vir Alexandriâ Rhodum frumenta advexerit in Rhodiorum inopiâ & sciat plures mercatores Alexandriâ solvisse, navesque in cursu frumento onustas petentes Rhodum viderit: quæritur; utrùm liceat illi Rhodios celare de adventu reliquarum navium, & suum frumentum divendere Rhodiis pretio currente juxta caritatem annonæ maximo? subjungit Cicero duorum Philosophorum oppositas sententias, videlicet Diogenis Babylonii & Antipatri: quorum prior favet mercatori, hic verò debere asserit mercatorem id Rhodiis revelare, vel de pretio currente remittere. Subscribit Cicero posteriori sententiæ & procedit in his formalibus: Hoc autem celandi genus quale sit & cujus hominis, quis non videt? certè non aperti, non justî, non viri boni* (subjungit Paternitas Vestra) *si in casu simili mercator Christianus consuleret quosdam ex modernis casistis, mitius & commodius accepturum responsum. Rectissimè hoc: quis enim vereatur subscribere angelico Doctore, cujus auctoritatem toties inclamat Paternitas Vestra, ut unicum.*

unicum dicat fufficere contra adverfarios mille? locum resolutionis ostendit Sandæus. Placeat summam inspicere 2.2.9. 77. a. 3. ad 4. formalia hic addo in gratiam Lectoris, cujus interest nosse, quantâ felicitate aliqui confidant se mentem talium Doctorem penetrare. Ita habet: *Dicendum quod vitium rei (venalis) facit rem in presenti esse minoris valoris, quàm videatur. Sed in casu premissis, in futurum res expectatur esse minoris valoris, per superventum negotiatorum (Alexandrinorum) qui ab ementibus (Rhodiis) ignoratur. Unde venditor, qui vendit rem secundum pretium, quod invenit, non videtur contra justitiam facere (quod negat Cicero sustinens non esse viri justis & viri boni, sic vendere) si quod futurum est (circa adventum aliarum navium) non exponat. Si tamen exponeret, vel de pretio subtraheret, abundantioris esset virtutis (quod est extra controversiam) quamvis ad hoc (iterum repetit) non videatur teneri. Ecce ut quadrabat instar circuli quod adducebatur mercatoris exemplum; quid ad hoc Paternitas Vestra?*

6. Respondet pag. 79. in hæc formalia: *exemplum de Mercatore non magis putat opponens quidam, quadrare ad intentum meum, quam quintam rotam in curru, additque, plus laudari Ethnicum Oratorem, quàm D. Thomam. Atqui (ita pergit Paternitas Vestra) exemplum mercatoris adducit etiam Petrus Arragonius Ordinis Augustiniani, & negat id unquam licere mercatori venden-*

ii. quid videtur Lectori! Petrus Arragonius negat hoc licere: ergò, quid inferitur? Sed quid si etiam *Arragonius* cum D. Thoma consentiat? ita habet ad eundem numerum D. Thomæ: *Etiam si iste venditor interrogatus, an futura esset magna copia illarum mercium? diceret se nescire, & etiam si diceret, non esse futurum, non peccaret contra justitiam.* Idem resolvit *Salonius* vester to. 2. q. 77. a. 3. nisi tamen, inquit, exprimeret emptor, se propterea emere tali pretio, quia credit venditorem verum dicere. Si autem in casu D. Thomæ mercator talis nihil agit contra jus justitiæ, quid igitur vetat, quo minùs jus suum actu prosequatur? an charitas? atqui hæc non obligat ad perfectionem abundantioris virtutis, cum hæc sit consilii & non præcepti. At neque alia virtus ulla obligare potest, sed solùm fortè hortari & extimulare ad perfectionem abundantioris justitiæ. Nihil sanè minus intenderat *Eximius Antagonista*, quàm modernis *Casuistis* adjungere *Angelicum Doctorem*. Evenit hìc quodin proverbio dicitur:


*Incidit in scyllam cupiens vitare charybdim.*  
 Neque in his, in quibus allegatum tam speciosè vidimus, amicum sibi fecit *Augustinum*, inimicum verò etiam *Thomam* reperit.

\* † \*



## §. TERTIVS.

*Continuantur argumenta ex Augusti-  
no, & responsiones.*

I.  Pponit Paternitas Vestra novum ar-  
gumentum, sic habens §. 3. prioris  
libelli: quod idē allegatur in triplici  
dissertatione. *juxta D. Augustinum*  
*non datur ignorantia invincibilis in jure naturali,*  
*nec positivo divino: ergò operans juxta opinionem*  
*minus probabilem in his, quæ sunt juris naturalis &*  
*divini positivi, non potest excusari per ignorantiam*  
*invincibilem.* Antecedens supponitur sufficienter  
probatum: consequentia puratur tenere. Respon-  
deo primò, quòd non tantum non sufficienter  
probetur antecedens, sed ne verisimilitudo ulla  
rationis afferatur. De hoc infra. Respondeo se-  
cundò, si permittatur etiam antecedens, non te-  
nere suppositum consequentis. Omnis enim *pro-*  
*babilitas stricta & absoluta* debet esse invincibilis,  
ut, si erretur, opposita certitudo cerni non possit.  
Intelliguntur hæc satis ex prænotationibus de *o-*  
*pinione strictè probabili* factis, & sic proceditur ad  
quartum.

2. *Augustinus in epistola 7. ad Marcellum in-*  
quit:

quit: ratio contra Divinarum scripturarum auctoritatem quantumlibet acuta sit, fallit verisimilitudine. Quid sequitur? ergò non licet operari juxta minus probabile. ô iterùm belle! quis unquam probabilitarum dixit rationem esse probabilem, quæ est contra divinarum scripturarum auctoritatem, nisi fortè invincibilis ignorantia intercurrat? atqui hæc etiam judicio Paternitatis Vestræ excusat à peccato.

3. Instat Paternitas Vestra & novâ auctoritate nos impugnat: *Augustinus dicit Hom. 41. Tene certum, & dimitte incertum.* Respondeo Paternitatem Vestram docere, quòd liceat sequi sententiam probabiliorē licet minus tutam: cur non tenet certum & dimittit incertum? Respondeo secundo etiam nos docere & hortari cum S. Augustino, ut homo Christianè vivat & pœnitentiam agat cum valens est, certumque habet pœnitentiæ tempus: crastinus enim dies, imò & secutura hora incerta est. Si tamen hoc ipsum Augustini dictum in materia utrimque probabili usurpetur, responsio ex dicendis patebit.

4. Objicit igitur Paternitas Vestra ex l. r. *August. de baptismo contra Donat. c. 13.* ubi sic loquitur S. Doctor. *Duo dicimus: esse apud Donatistas baptismum; non autem illic rectè accipi. horum duorum illi (Donatistæ) unum magnopere affirmant, id est esse baptismum ibi; non autem illic rectè accipi, nolunt fateri. Quisquis ergo vult baptizari,*

zari, & certus est jam sibi nostram ecclesiam ad christianam salutem esse eligendam, & in ea sola prodesse baptismum Christi, attendat, hic securus accipiat, ubi baptismum esse & rectè accipi certus est; illic autè non accipiat. Quamquam, etiamsi dubium haberet, non illic rectè accipi, quod in catholica rectè accipi certum haberet, graviter peccaret in rebus ad salutem anime pertinentibus, & e solo, quod incerta certis præponeret. Et c. 5. incertis certa præpone. Accipere in parte Donati si incertum est esse peccatum, quis dubitet certum esse peccatum, non ibi potius accipere, ubi certum est non esse peccatum? Quæ doctrina, inquit Paternitas Vestra, confirmatur ex lib. de moribus Ecclesiæ cap. 3. Ubi dicitur: oportet omnem hominem, quod optimum est, sequi: ex quo infert: ergo non licet sequi opinionem minus probabilem &c. Respondeo tam fufas allegationes ex August. fieri omnino gratis. Quid enim istæ ad rem nostram? Si certum habetur in sola Ecclesia Catholica rectè accipi baptismum, an probabile esse potest, rectè etiam accipi apud Donatistas? certum est, omne quod certo opponitur, esse improbabile. Hoc igitur solùm vult ad docet Augustinus, quòd certum practicè tale de eo, quod aliquid hìc & nunc liceat, incerto practicè tali præeligendum sit. Si veto etiam oportet omnem hominem, quod optimum est, sequi, ergo oportet sequi consilia evangelica: ergo virgo divino peccat, si nubat. Atqui hoc est contra Apostolum I. Cor. 7.

5. Urget Paternitas Vestra & dicit *regulam D. Augustini de eligendo, quod tutius est in dubio, esse canonizatam, uti solide probat Fagnanus. Respondeo canonizatam esse in ratione consilii, & non in ratione præcepti. Oppositum Fagnanus tam parum probat, ut sibi ipse contradicat, dum resolvit dubium, an Clerici superflua malè expedientes obligentur ad restitutionem pauperibus faciendam?* ita enim habet in *1 p. 3. decretalium cap. si quis sanè, de peculio Clericorum. Quia, inquit, vix reperiuntur etiam inter beneficiatos religiosos, qui superflua pauperibus elargiantur, non expedit Clericis inducere conscientiam, contra quam facturi sint, & gratis damnentur. Tamen si opinio Archidiaconi, quæ Episcopos Clericos superflua non erogantes pauperibus, obligat, ad restitutionem, forte sit communior, & tutior omnino existat. Ecce Fagnanus ex Probabiliorista factus est Probabilista, communior & sibi probabilior relicta, minus probabilem & minus tutam Clericis indulget. Cur non & aliis? æque pro omnibus valent argumenta quadraginta duo, quibus nos oppugnat. An potius hi gratis damnandi sunt, quam alii, cum pro utrisque mortuus sit Christus? absit.*


6. Quod subjungit Paternitas vestra eum, qui sequitur minus tutam sententiam, habere iudicium nolens intelligere, ut bene faciat. Respondeo hoc Paternitatis Vestræ iudicium esse sine iudicio.

7. Sequitur de excubatione iustorum ex Aug. quod piget describere. Respondeo excubare nos, ut iustos

atos & bonos Pastores decet, nè populus pretioso  
 nimis sanguine redemptus, à suavi jugo Christi  
 avertatur. An aliquid restat solvendum ex *Autho-  
 ritate Augustini*? restat nihil. Ecce lector benevo-  
 le, quid parturierint montes. Gloriosi admodum  
 libellorum & dissertationum tituli leguntur; ad  
*mentem praclarissimi Ecclesiae Doctoris S. P. Augu-  
 stini*. Fiunt acclamationes, quia *doctè omnia & so-  
 lidè juxta mentem S. Augustini* probantur. *Author*  
*per omnia spirat, sapit, loquitur Augustinum*. Dignus  
 est liber triplicis dissertationis, qui supra candela-  
 brum Ecclesiae ponatur. Et quæ similia. Sunt  
 multa fucis illita, quæ luce purgentur  
 Tuâ ô Christe.








## S. Q V A R T V S.

Respondetur ad argumenta ex  
D. Thoma.

1.  Bjicit nobis Paternitas Vestra Au-  
thoritatem D. Thomæ ex quodl. 8.  
a. 13. scilicet periculosè determina-  
ri, aliquid non esse peccatum, nisi ex-  
pressa veritas habeatur: quia ut l. c. profequitur D.  
Tho. error, quo non creditur esse peccatum mortale,  
quod est mortale, conscientiam non excusat à toto, licet  
fortè à tanto. Resp. juxta mentem & rationem al-  
latam D. Th. tunc solummodo periculosè deter-  
minari, aliquid non esse peccatum mortale, quan-  
do vincibiliter nescitur esse mortale, quod revera  
est mortale. Quando autem ignorantia seu error  
est omnino invincibilis, qualis foret noster in do-  
ctrina, quam non solum sustinet Ecclesia, sed in  
qua conspirant unanimiter optimi Theologi,  
tunc non determinatur periculosè. Unde idem  
S. Doctor q. 17. de verit. a 3. ad 4. inquit: tunc con-  
scientia erronea non sufficit ad absolvendum (à  
peccato) quando in ipso errore peccatur. Subsumo:  
atqui in errore nunquam peccatur, nisi sit vinci-  
bilis. & hoc claris terminis profequitur cit. Do-  
ctor. Tunc enim, inquit, in errore peccatur, quando  
erratur circa ea, quæ scire aliquis potest & tenetur:  
si

*si autem esset error circa ea, quæ quis non tenetur scire (quantò magis, quæ scire non potest) ex sua conscientia absolvitur. quid clarius?*

2. Videat autem prudens Lector, quâ circumspessione ambidexter adversarius nos oppugnet, cum fateatur *pag. 14. cit. dissert. locum objectum* intelligi de ignorantia & errore vincibili, qualis non est, qui nititur motivo absolutè probabili, uti intelligitur satis ex supradictis. Unde magis insto: si enim super eo, quod sustineat Ecclesia aliquos habere duas præbendas, potest fundari dictamen conscientiaè practicum, quo (non obstante incertitudine rei & adversariorum contradictione) accipiens & retinens duas præbendas ex sua ipsius conscientia absolvatur, & periculum nullum peccati mortalis incurratur, ergo super invincibilitate operantis potest juxta S. Doctorem fundari conscientia bona, prudens, honesta, sive veritas legis attingatur, sive non. Ex dictis autem cuivis integro judicio clarissimè ostensum est, ignorationem probabilioristicaè vestraè, tum ob authoritates gravissimorum Doctorum stantium pro nostra doctrina, tum ob rationes intrinsecas esse quam maximè, si ulla alia est, invincibilem: ut non dicam, quòd nullitas probabilioristicaè vestraè legis velut conclusio theologica satis apertè ex jugo suavi, quod Christus imposuit, inferatur.

3. Fundamentalis autem ratio doctrinaè Divi Thomæ, è pluribus una hæc facilis est & certa

quòd sufficiens promulgatio legis requiratur, antequam constringi intelligatur libertas humana; atqui sufficiens promulgatio legis probabilioristica facta non est, quia manet viris etiam maximè doctis & timoratis, post diligentem ejus factam inquisitionē, saltem incerta; ne iterū dicam, quòd apertæ falsitatis arguatur. & huic principio conformiter docet *cit. Ang. Doctor q. 17. de verit. a. 2. in O. preceptum superioris non obligare subditū, nisi sciatur*, subsumo: atqui tamdiu non scitur, quamdiu manet strictè & absolutè probabile; non dico certum; quòd præceptum nullū probabilioristicū extet. Formalia S. Doctoris hæc sunt: *ex imperio Domini non ligatur aliquis, nisi imperium attingat ipsum, cui imperatur: attingit autem ipsum per scientiam. Unde nullus ligatur per præceptū ali- quod, nisi mediante scientiā illius præcepti, & ideo nec ignorans præceptum Dei ligatur ad præceptum faciendum, nisi quatenus potest ac tenetur scire præceptum. Si autem non tenetur scire, nec sciat, nullo modo præcepto ligatur. Ecce claram, sobriam, piam doctrinam.*

4. Opponit Paternitas Vestra ex quod lib. 3. n. 10. ubi sic loquitur S. Doctor: *dicendum, quòd diverse opiniones Doctorum Sacrae Scripturae, siquidem non pertineant ad fidem & bonos mores, absque periculo auditores utramque opinionem sequi possunt; tunc enim habet locum, quod Apostolus dicit Rom. 14. unusquisque in suo sensu abundet. In his verò, quæ pertinent ad fidem & bonos mores, nullus*  
 excu-

*excusatur, si sequatur erroneam opinionem alicujus Magistri. Resp. S. Doctorem non posse intelligi, nisi de erronea vincibili opinione: uti & seipsum explicat per ea, quæ sequuntur; nam inquit: alioquin immunes à peccato fuissent, qui secuti sunt opinionem Arrii & aliorum Hæresiarcharum, quorum scilicet opiniones hæreticæ non sunt ullo modo strictè probabiles, sed summum quod sic, solùm respectivè in sensu prænotationis factæ. Et de tali errore intelligitur, quod subdit S. Doctor: nec potest (talis opinio) excusationem habere propter simplicitatem auditorum, si in talibus opinionem erroneam scilicet vincibiliter sequantur. Et quomodo sanè invenientur materiales hæretici, qui excusentur à peccato, si erroris invincibilitas non excuset? an potest clarius responsum requiri?*


§. Atque ex hoc intelligitur, quod dicit *D. Th. quodlib. 8. a. 13.* quem locum nobis objicit Paternitas Vestra *posse aliquem non excusari à peccato, quando facit contra legem Dei, quamvis non faciat contra conscientiam*: Loquitur enim de conscientia erronea vincibili. Inspiciatur *S. Doctor q. 17. de verit. a. 3. ad. 4.* ubi id quod dicitur, in expressis terminis probat. Ita habet: *Tunc conscientia erronea non sufficit ad absolvendum, quando in ipso errore peccatur* (id est, quando culpabiliter ad eòque & vincibiliter erratur) *subsumo: atqui in errore nunquam peccatur, nisi sit vincibilis, uti concedit Paternitas*

ternitas Vestra. Qui his tam claris & solidis expositionibus non acquiescit, plus quàm rationes desiderat.

6. Pro superfluis addo sequentia: Quia nisi ita est, ut ostendimus, quomodo potuit D. Th. sine peccato, & quidem gravi, docuisse 2.2.q.67. a.1. *Judicem posse judicare juxta allegata & probata contra veritatem evidenter notam, & innocentem interficere?* cùm tamen opposita sententia sit tutior, & probabilioribus iisque gravissimis argumentis nitatur? Immo videtur hoc ipsum repugnare juri naturæ, supra quam nulla respublica ullum jus habet. Quomodo item; ut in lege positiva idem appareat; potuit sine peccato docuisse idem Doctor, *quod fictè confessus, non obligetur ad reconfitenda peccata fictè confessa; sed fictione cessante confessio sit valida?* cùm opposita opinio sit tutior & omnino probabilior? aut quàm item conscientiam docere potuit excusari eum, *qui non solveret quotam decimæ, ubi invaluisset consuetudo eam non solvendi?* quando opposita sententia tam communis est Canonistarum, ut priorem dicant non pauci esse omninò hæreticam?


7. Ultimum fortè instat non nemo: at saltem dubitare videtur Angelicus Doctor de veritate & securitate doctrinæ probabilisticæ, quia in aliquot locis dicit periculosum esse de his & illis particularibus determinare utrum liceant. *B.*  
ex alla-

ex allatis hætenus constare satis de mente illius. Nullibi dubitat, quin sinè omni periculo determinetur aliquid licere ex supposito, quod strictè & absolutè & certò probabile sit. Quando igitur tergiversatur D. Th. se resolvere, idcirco facit, quia non satis ipsi liquet, hoc vel illud particulare esse strictè & absolutè probabile.



## §. QUINTVS.

*Respondetur ad Argumenta ex Di-vo  
Bernardo, &c.*

I.  X D. Bernardo addducit contra nos Paternitas Vestra locum ex tom. 2. serm. 26. pag. 115. apud Merlohnstium. (libens gratificor in citatione facienda: si locum novit Paternitas Vestra, non tamen allegavit) ubi sic habet: *Rogo vos Fratres, diligenter attendite, quia nihil mihi occurrit, quod utilius possitis audire: Ubi certa est Dei voluntas, omnino nostra sequatur, in his videlicet, de quibus certum aliquid in scripturis invenimus, aut ipse Spiritus manifestè clamat in cordibus nostris, quid sentiendum sit. Hæc approbemus indubitanter & appetamus, quæ placere Deo scimus indubitanter. Sed ea omnibus modis odisse debemus, de quibus certum est, quod oderit ea Deus. In his verò rebus, in quibus nihil certi possumus invenire, nihil certum voluntas*

luntas nostra definiat, sed pendeat inter utrumque, aut certè neutri parti nimis inhereat, cogitans semper, nè fortè altera pars Deo magis placeat. Unde enim sunt scandala? unde turbatio? nisi quod propriam sequimur voluntatem, & temerè, quòd volumus, in corde nostro definientes, in impatientiam, in murmurationem, in scandalum proni sumus; &c. Domine, ait Propheta, in lumine vultus tui ambulabunt, & in nomine tuo exultabunt totà die, &c. Piget plura describere. Quid concluditur? ergo non licet sequi minùs probabilem, &c. ergo probabilistica est radix, &c. ergo Doctores probabilistici sunt scelerum patroni. Nihil video legitime consecutionis. Eàdem ratione potuisset Paternitas Vestra totum psalterium allegare, tunc scilicet victas manus dedissem. Quantò meliùs sibi applicaret Paternitas Vestra locum allegatum. Quia enim in his rebus, de quibus disputat, nihil potest certum probare, nihil etiam certum voluntas definiat, sed pendeat inter utrumque: aut certè neutri parti nimis inhereat, cogitans semper nè fortè doctrina probabilistica tot rationum & auctoritatum irrefragabilium argumentis fulta, Deo magis placeat. Unde enim sunt scandala, quæ per libellos infamatorios veniunt? unde turbatio pacis in S. facultate Ubiorum? unde Religiosorum Virorum collisio? nisi quod propriam sequimur voluntatem, & temerè quòd volumus, in corde definientes, probabilisticam & ejusdem Doctores adeò fœdè censuramus ac damnamus: dumque  
super

super hoc reprehensione digni ab aliis corrigimur, *in impatientiam, in murmurationem in scandalum proni sumus, &c.*

2. Quòd S. Antoninum pro sua sententia citet Paternitas Vestra, miror, cum in editis tot Authorum libris satis aperta ejus testimonia passim adferantur pro doctrina communi probabilistica. Si quid aliud loqui videtur, explicari potest ac debet juxta sensum hactenus allatum.

3. Textus allegatos in *Subtili Scoto* locis citatis quæsi, & nihil istorum, quæ allegantur, inveni. Si fortè in scholiis aliquibus habeatur, determinare poterit Paternitas Vestra, & novo iterum libello tractare super eadem famosa radice, & illum inscribere quarto Subtili Doctori, ut aliqua subtilitas addatur errori tam crasso.

4. De turba aliorum inferioris notæ Authorum nihil habeo, quod respondeam, nisi quòd puræ nominum allegationes non acceptentur à nobis velut probationes. Eadem facilitate & majori veritate citantur passim pro doctrina nostra probabilistica.

5. Antonium Celladium fateor nobis contrarium fuisse: citavi illum in dictatis scholasticis, ut videre potuit Paternitas Vestra inter adversarios doctrinæ nostræ. Si placuerit inspicere posthumum opus *Antoni Terilli*, fatebitur Celladium esse penitus heteroclitum, & nullius vel exiguæ authoritatis. *Candidus Philalethes* si nobis adversatur, at videmur nos tamen plus requirere ad  
G hone-




honestè & licitè operandum, quàm requisiverit ipse Candidus. Majorem probabilitatem sufficere docuit ipse ad licitam operationem: nos etiam certitudinem & evidentiam requirimus.

6. Denique stupui *Bellarminum* contra nos adduci. Fideliter ego locum à Paternitate Vestra mutilatum allegabo ex præstantissimo hoc Societatis Doctore. Formalia in admonitione ad Nepotem Episcopum hæc sunt: *Si quis velit in tuto salutem suam collocare, & simul oporteat eum Episcopali officio fungi, is omnino debet de novem controversiis certam veritatem inquirere, & non respicere, quid multi hoc tempore dicant aut faciant. Et si rei certitudo non possit ad liquidum apparere, debet omnino certiore partem sequi, & nullà ratione ad minus tutam partem inclinare. Agitur enim de summa rei, cum de salute æterna tractatur: & facillimum est conscientiam erroneam exemplorum induere, & eo modo conscientiam non remordente ad eum locum descendere, ubi vermis non moritur, & ignis non extinguitur.* Ita ille. Ubi manifestum est, quod loquatur de conscientia vel erronea vincibili, vel utcunque solum respectivè, aut etiam creperè probabili, id est, probabiliter solum & incertò probabili; quando non minus ipse, quàm Paternitas Vestra & omnes Catholici sustinent conscientiam invincibilem excusare à peccato. Loco igitur citato in dubium solummodo vocat citatus Cardinalis, utrùm pro absolutè & strictè probabilibus haberi debeant hæc sequentes o-

tes opiniones. Prima est: *Episcopum non teneri residere in Ecclesia sua, sed posse etiam discedere ad longum tempus & sine causa.* Secunda: *Non teneri per se predicare, cum facile possit in propria persona.* Tertia: *Neque teneri esse perfectum.* Ubi addit, *quod sublimitatem status Episcopalis Christus docuerit exemplo, cum totos dies consumpsit in charitate proximorum docendo, exhortando, increpando, & noctes totas in orando, contemplando, laudando & magnificando Deum: & hanc, inquit, docuit ipse Apostolos suos successores, quos imitari debeant moderni, si, quibus in officio pastoralis succedunt, eorum consortes inveniri cupiant in eterna felicitate.* Hac perfectio excludit ludos, venationes (immoderatas) lectiones librorum vanorum, occupationes temporales & alia id genus obvia. Quarta: *Multos oportere ordinari, cui opinioni opponit dictum Apostoli de manibus nemini citò imponendis.* Quinta: *Multitudinem beneficiorum in eadem persona esse licitam.* Ubi inquit, *Dispensationem Pontificis absque iusta causa valere in foro fori, non foro poli.* *Qui non unus sed plures est in beneficiis, non unus sed plures erit in suppliciis.* Utinam multi Religiosi non pejùs vivant, quàm plura beneficia possidentes Ecclesiastici! Sextâ tractat de modo agendi cum Principibus pro tuenda Ecclesiastica libertate. Septimâ de modo agendi cum consanguineis, ne ex redditibus Ecclesiasticis locupletentur, impinguentur, dilatentur. Octavâ de redditibus Ecclesiasticis in usus pios impendendis. *Quibus*


bus 8. quæstionibus præmittit eam, *utrum liceat modernis temporibus sine periculo salutis Episcopatum desiderare*, juxta dictum Apostoli: *Qui Episcopatum desiderat, bonum opus desiderat*. Ubi adfert speciales rationes, ob quas in primitiva Ecclesia honestè & sine speciali salutis periculo potuerit Episcopatus desiderari, quales non reperiuntur his nostris temporibus. Ecce, mi Lector prudens, qualibus argumentis ex Autoritate trium Ecclesiæ Doctorum, ad quorum scilicet mentem **DISSERTATIO TRIPLEX** inscribitur, oppugnemur. Nunquid liceat mihi potiore jure in Adversarium retorquere, quod in præf. dissert. de prædestin. malè in nos ipse contorquet: *Non noverunt Augustini ( Thomæ, Bernardi ) sententiã, sed amant suam: non quia vera est, sed quia sua est: alioquin & aliam veram pariter amarent; sicut & ego amo, quod dicunt, quando verum dicunt.*





## §. SEXTVS.

*Respondetur ad argumenta, quæ ad-  
versarius ex ratione adduxit.*

I.  Bjcit primò Paternitas Vestra: Si suf-  
ficeret ad conscientie securitatem,  
quod alicui opinio appareat probabilis:  
jam summi Pontifices non proscripsis-  
sent ista opinionum monstra, quibus mendacia, ca-  
lumnia, perjuria, usura, simonia, homicidia excu-  
sabantur à peccato, eò quòd viderentur excusari  
per rationes probabiles, etsi opposita sententia proba-  
bilior esset. Deinde: hoc modo etiam Hæretici ex-  
cusarentur à peccato, quia ipsis suæ opiniones niti vi-  
dentur rationibus probabilibus; imò esse omnino  
conformes Sacræ Scripturæ. Similiter Pilatus, qui  
Christum morte dignum judicavit, asserentibus Ju-  
deis & Principibus illorum, se legem habere, secun-  
dum quam deberet mori. Item Turcarum error sic  
potest defendi, quo judicant fornicationem & pollu-  
tionem non esse malam: & sic de aliis. Quid enim  
illa minùs possint defendi ex ratione, quando Cara-  
muel Probabilistarum facile Princeps fatetur lib. 4.  
Theologia moralis num. 1559. Deorum pluralita-  
tem stando principiis naturalibus defendi posse ac  
propugnari. & num. 1563. Prudentiam humanam  
viribus naturæ relictam probabilissimè posse credere,

*dari plures Deos.* Resp. monstra ista opinionum rectè damnata fuisse à Pontificibus, quorum fulmine non eliditur ullius opinionis vera & certa, sed ficta & putatitia solum probabilitas propositionum illarum, quas imprudentes & temerarii homines pauci asserere ausi sunt, contra doctrinam Ecclesiæ ac Doctorum communem. Quæ sequuntur, mirum est contra nos adduci ab eo, qui meliùs intelligit. Motiva enim credibilitatis, quæ possunt Hæreticis favere, si comparentur cum motivis credibilitatis Ecclesiæ Sanctæ, non retinent ullam certam & absolutam probabilitatem. Præterea distinguere debet Paternitas V.<sup>ra</sup> inter *videri & esse* probabile. Quod de Turcis subjungitur, Respondeo ex Christi lege promulgata satis constare, quòd fornicatio & pollutio sint peccata mortalia. Et hoc nolunt isti scire, dum nolunt Evangelio credere. De Pilato testatur scripturæ, eum *scivisse, quòd Judæi per invidiam tradidissent Christum*: unde oppositum non potuit ei esse probabile. Quod de Caramuele meminit Paternitas Vestra, Respondeo nos tueri veritatem Probabilisticæ doctrinæ, non Caramuelem. In propositionibus adductis fatemur eum esse heteroclitum & singularem, cui propterea passim contradicitur, etiam ab his, qui aliàs sunt de laxa manica. Si nimiam sentiendi licentiam in hoc Authore coërcendam putabat Vincentius Baronus, debebat se intra terminos continere, discrimen agnoscere inter illum & Societatis

tatis

tatis Doctores, Suarez, Vasquez, Bellarminum, Molinam, Lessium, Valentiam, Castropalaum & cæteros, quorum potuisset humilis fieri discipulus.

De primis etiam Parentibus itemque de Saüle objicere hîc solent supra citati Probabilioristæ, quòd opinionem probabilem secuti sint, & tamen peccârint. Respondeo talia ab his, qui legerunt scripturas, non posse allegari; testantur enim apertè, sub interminatione mortis vetitum fuisse primis Parentibus manducare ex arbore. Unde nec Adam, nec Eva increpiri à Domino ullum argumentum probabile obtruserunt pro sua excusatione: sed ille se ab hac, & hæc à serpente seductam se fuisse, causata est. De Saüle similiter meminere eadè scripturæ, quod præceperit ei Dominus *non parcere, sed interficere à viro usq; ad mulierem & parvulum & lactentem bovem & ovem, camelum & asinum.* Neque tamen per hæc nego, quin peccare etiam possit sequens in dubio juris sententiam licet strictè & absolutè probabilem, si dictamen scilicet practicum sibi formet de eo, quod non liceat sibi sic operari.

2. Objicit secundò: *in negotiis temporalibus sequæ ad salutem corporis pertinent, operans juxta minus probabilem in concursu probabilioris non operatur prudenter: ut e. g. ingrediens sylvam, quam probabilius judicat esse receptaculum latronum, aut sumens potum vel cibum, quem probabilius judicat esse infectum veneno, ergo à fortiori non operabitur prudenter,*

prudenter, adeoque nec licite, qui in rebus ad salutem animæ pertinentibus operatur juxta opinionem minus probabilem. &c. Auferantur, ita ex Augustino contra Academicos cap. 9. inquit Paternitas Vestra, auferantur de manibus fabella: de anima res agitur: negligantur inani studio excogitati termini, & regula &c. Regulis istis non dedit Dominus securitatem, neque S. Aug. cum aliis Patribus; neque ulla evidens probatio. Resp. Permissio antecedente, quod sæpe non tenet, negando consequentiam. Ratio est, quia in opinione quavis probabili ostendimus dictamen prudens fundari posse: quod proinde infirmis conscientiis est loco *Alexipharmaci probati*, contra omne periculum peccati formalis, quale peccatum est mors animæ. Tale autem *Alexipharmacum* contra periculum venenati cibi & latrocinii non est ulla opinio probabilis de eo, quod in sylva non sint latrones, & cibus non sit infectus. Ratio enim periculi latronum & veneni evitandi nullo modo pendet ex opinione certò probabili intellectus judicantis abesse venenum & latrones. Ratio autem honestæ volitionis pendet à dictamine prudenti intellectus, ut supra ostensum. Si vos careatis hoc in moralibus *Alexipharmaco*, favete populo Christiano, ut apud Probabilistas gratis accipiat & vivat. Quod dicat Paternitas Vestra pag. 162. Dissertationis tertiæ *Alexipharmacum* hoc nostrum esse suspectum: Resp. esse suspectum timentibus, ubi non est timor: viris tamen prudentibus


ribus & cordatis lemurum larvas ridentibus non esse in tanta luce tot ac talium Doctorum.

3. Objicit tertio: *Qui sequitur minus probabilem relictâ probabiliore & tutiore, virtualiter dicit: etsi probabilius sit, quod Deus nolit hoc à me fieri, volo tamen facere: atqui talis volitio est inhonesta.* Respondeo eum solummodo dicere: etsi probabilius sit probabilitate *judicii speculativi*, quod Deus nolit hoc fieri; volo tamen facere, quia certus sum *certitudine dictaminis practici*, quod Deus sic permittat fieri hîc & nunc: huic autem actui nihil inest inhonestatis aut imprudentiæ. Responsio sat intelligitur ex supra traditis.

4. Objicit quarto: *Christus non dixit: Ego sum probabilitas; sed, Ego sum veritas, hæc ergo affectanda & spectanda est. Unde si Doctores dent consilia contra legem naturalem & divinam, verificabitur de illis istud Matth. 15. ceci sunt & duces cæcorum: cæcus autem si cæco ducatum præstet, ambo in foveam cadent: & hoc scilicet est, quod docet Aug. in Psal. 44. directionis virga est, quæ diriget homines: curvi erant, distorti erant, sibi regnare cupiebant, se amabant, facta sua mala diligebant, non voluntatem suam Deo subdebant; sed voluntatem Dei ad suas conscientias flectere volebant: & ad hoc propemodum sedent quotidie homines, ut disputent contra Deum: & lib. de Catechizandis rudibus cap. 25. tene te ad legem Dei & non sequaris pravaricatores ejus; non enim secundum illorum, sed secundum illius voluntatem judicaberis.* Respon-




deo neque Christum dixisse: ego sum probabilitas; Quid ergo? quod de *cæcis ducibus* subjungit, qui dent consilia contra legem, verum est, quando lex sufficienter est proposita. Falsò autè supponitur legem naturalem & divinam omnibus hominibus sufficienter esse propositam, nec dari ejus ignorantiam invincibilem. Quæ sequuntur gratis allegantur.



## S. S E P T I M U S.

*Continuantur objectiones & responsiones.*

- I.  Bjicit quintò. *Medicus habens ad manus duas medicinas, quarum unam judicat probabilius esse lethiferam, non potest facere per judicium suum licet probabile, ut sit medicina sana, neque licitè potest eam propinare egroto; ita nec viri docti per consilium suum poterunt facere, ut quod revera est contra legem naturalem & divinam, non sit contra eam. Nec obstat quod sint viri graves ita sentientes, quia Theologi antiqui & SS. Patres graviores sunt, qui oppositum dicunt. Si quis roget, utrùm tutò homo possit conscientiam suam credere Confessario, qui profitetur se pro regula tenere, quod liceat juxta minùs probabilem & minùs tutam operari? & utrùm tutò possit talis Confessarii confi-*

consilium sequi? Respondet Eximius M. categoricè, quod non. Responsum ad hæc est supra de *periculo veneni & latronum*. crambe recocta: uti & quod de antiquis & gravioribus Patribus ac Theologis asserit, sed infeliciter probat. Argumenta hæc & similia habeo pro telis aranearum, ex quibus Paternitas Vestra frustra torquere parat funiculum triplicem, quo abstrahat Pœnitentes à Sacris tribunalibus Probabilistarum: rumpuntur telæ, dum torquentur. Quod superest, rogo, nè judicet nos toties Paternitas Vestra, neque Pœnitentes nostros, *antequam veniat dies Domini magnus, qui illuminabit abscondita, & tunc laus erit unicuique à Deo 1. Cor. 4.*

2. Objicit sextò Authoritatem *Alexandri VII.* cum enim damnat ille tot propositiones ut scandalosas, reprehendit ac damnat *summam illam luxuriantium ingeniorum licentiam in rebus ad conscientiam spectantibus, & testatur, quòd modus opinandi irrepserit alienus omnino ab Evangelica simplicitate & SS. Patrum doctrina. Quibus verbis* (ita subjungit Paternitas Vestra ex Gradio) *cui dubium est, quin ex duabus seclis liberior & laxior designata sit? imò* (sunt verba Gradii) *ego propter fidelem illius temporis notitiam compertum habeo, quia coeperat impetum egregius honoris Dei zelator Alexand. VII. malum in suo fonte, ut ajebat, & radice funditus exscindendi. Nec quidquã propius fuit, quàm ut edità constitutione damnaret probabilisticam opinionem, fecissetque sine dubio, nisi inter-*  
G 6
venisset

venisset ejus consilio Cardinalis Pallavicinus rem-  
maturiùs considerandam ratus. Respondeo ab  
*Alexand.* non taxari, nisi licentiam temerariam,  
& eam, quæ constat in probabilitate dubiâ & cre-  
perâ, vel etiam duntaxat respectiva. Sententiam  
verò nostram, quæ caret temeritate, nec damna-  
vit Pontifex ille, nec ullus Pontificum damnabit  
unquam: quidquid pro eo laborent egregii illi  
zelatores, qui inter *docere* & *facere* nôrunt expe-  
rimentaliter magnû esse discrimen. Deinde & ea,  
Quæ de *Alexand. VII.* allegantur, non probantur.  
*Qui leviter credit* Probabilioristis, citò decipitur.

3. Objicit septimo, quod *pateat ex sententiis*  
*jam proscriptis, generatim non esse licitum sequi mi-*  
*nus probabilem, & consequenter illos errare, qui hoc*  
*docuerunt.* Respondeo: Paternitas Vestra in voce  
*generatim* Amphiboliam facit. Vel enim dicit,  
quòd ex sententiis jam proscriptis pateat, non  
esse licitum generatim sequi minus probabilem,  
id est non licere sequi ullam minus probabilem,  
& hoc est falsum: vel, non licere sequi quamli-  
bet etiam antea habitam velut probabilem, sed  
jam damnatam; quod quidem verum est, sed jam  
non est amplius probabilis.

4. Objicit octavò. *Si liceat sequi sententiam*  
*probabilem, erit hæc ratio, quòd non constet nobis*  
*de lege Dei in contrarium data, adeòque maneat li-*  
*bertas nostra in possessione: atqui hoc non. Major*  
*est Probabilistarum. Minor Probatur: quia sic*  
*filius non teneretur honorem & obedientiam Patri*  
*deferre,*

deferre, quia non constat illi certò eum esse Patrem, & nemo poterit prudenter adorare hostiam, quia non constat certò de consecratione legitimè facta. R. Negando Minorem, & probationem ipsius. Cùm enim Pater sit in possessione bonæ famæ, dubitare filio de honestate Patris vetitum est, quamdiu de contrario non constat. Similiter Episcopus & sacerdos præsumi debent officium suum peragere. Quòd autem legitimè hic vel iste ordinatus sit, pro moraliter certò tenendum est: ideoque dum officio sacerdotis ad aram fungitur, hostia absolutè adoretur.

5. Objicit 9. *Sententia negans esse licitum sequi opinionem minus probabilem, fundata est in scripturis, quæ testantur esse angustam portam & arctam viam, quæ ducit ad vitam, itemque in iure canonico & SS. Patribus; habetque Theologos antiquos & multos Recentiores Episcopos, Archi-Episcopos, Canonistas, Patronos & defensores.* Resp. Negando, quòd vel unicus ne dicam Patrum; sed quorumcunque Theologorum antiquorum docuerit sententiam Paternitatis Vestræ: fatis ea & plura ex dictis possunt constare.


Atque ex dictis etiam istud satìs manifestè colligitur, doctrinam Probabilisticam non esse probabilitatis agitæ & turbatæ, utpote quæ per tot sæcula à nemine virorum bonorum sit passa contradictionem, licet hâc nostrâ ætate contradictionem patiatur ab his, quos descripsit supra Antonius Terillus. Placeat Paternitati Vestræ  
neutrali

neutrali animo hæc perpendere, & certò desinet affirmare quod pag. 156. deprompsit ex Gonetto: *Eum qui in operando nititur fundamento opinionis minus probabilis, similem esse ei, qui in ambulando innititur baculo arundineo.* Veriùs dicere potuisset, *arundinem vento agitatam* levicularum & inanium rationum esse Probabilioristicam.

Et hæc aliaq; si animo ad benignitatem composito perpendere volet Paternitas Vestra, facilè erit ex Probabilioristâ fieri probabilistam, & non condemnare eos, qui jure redargui non possunt. Cesset deinceps clamare: *Mea est possessio, olim possideo, prior possideo, habeo origines firmas, Sanctorum Patrum & Doctorum sum discipulus, sicut caverunt illi testamento, scio, teneo.* Hæc talia Paternitas Vestra ex *Tertulliano* pag. 196. triumphabunda jactat, sed non probat: uti & multa alia tolet jactare. Quale istud in *Epistola dedicatoria dissertationis de pœnitentia, ad Amplissimum Dominum Regentem Gymnasii Laurentiani*: per me indignum filium suum, *Augustinus* Amplitudini *Tue* libellum hunc porrigit & dicit: *Ecce habes tuta & inconcussa dogmata, quæ si Professores tui, discipuli mei propugnare, aliosque docere perrexerint, stabunt securi in quocunque justo judicio, adversus quoslibet veritatis impugnatores. Sed non qui seipsum commendat, probatus est.*

\* \*  
\*

RES.



RESPONSIONIS  
 APOLOGETICÆ  
 CAPUT IV.

Resolvuntur variæ quæstiones ad  
 controversiam probabilisticam  
 pertinentes.

§. PRIMUS.

*Utrum doctrina Adversarii prudenti  
 iudicio censeri possit vel minimè  
 probabilis ?*

- I. **R**espondeo & dico, eam, quatenus  
 universaliter obligat omnes, ad sem-  
 per tenendas vias probabiliore &  
 tutiores, esse simpliciter improba-  
 bilem, periculosam, & scandali plenam: impro-  
 babilem, quia talis doctrina adversatur non so-  
 lum unanimi præstantissimorum Doctorum &  
 Theologorum sententiæ; sed *jugo* etiam *suavi* le-  
 gis

gis Evangelicæ, & libertati, quam habemus in Christo JESU, ut probatum. Periculofam & scandali plenam esse similiter patet, quia est laqueus in ruinam & damnationem. Quatenus autem audet Paternitas Vestra censurare probabilisticam nostram velut infamem *Radicem* &c. an non eatenus meliorem censuram promereretur? parco, relinquens hoc judicandum prudenti & cordato Lectori.

2. Sed enim si improbabilem facimus doctrinam Probabilioristicam, jam illius Patroni vel inscitiae vel improbitatis arguendi erunt, cum id solum dicatur probabile, quod viri docti & probi sentiunt. Respondeo, si quidem pauculi viri boni defenderint opinionem Probabilioristicam, id non nisi speculativè fecisse: practicè autem sentire, & operari juxta nostram doctrinam. Quod quàm verum sit in Fagnano & Mercoro satis insinuatum est supra. Ad argumenta autem opposita seu ex Authoritate, seu ex ratione omnino facilis & clara responsio dari potest, & data est.

3. Denique contra Eximium Patrem tali utro dilemmate: cum videatur seriò istam sententiam profiteri: vel opinio Probabilioristica potest certo argumento demonstrari, vel non potest: si potest, ergo cœcitatibus gravissimæ arguendi sunt innumeri præstantissimi Doctores, quòd percipere non valeant illam demonstrationem, licet percipere omni studio contendant. Si verò non potest


test certo argumento demonstrari, adeoque Lex Probabilioristica penitus incerta est; quis igitur & qualis iste est obtrusus sine credentialibus Præco certi peccati, nisi incertæ legi nos conformemus? & priusquam lex illa proberur, nolentes eam agnoscere & recipere, carpens ut *cæcorum daces*, ut *presumptuosos*, ut *nolentes voluntatem suam Deo submittere*, ut *periculosos Pœnitentium Confessarios*, ut *eversores disciplinae*, ut *invasores arcis legum omnium*, ut *aperientes asylum omnis licentiae*, ut *nimis vilem habentes annonam bonæ mentis, honestatis & officii?*

4. Ut hoc argumentum eludat Paternitas Vestra, per sarcasmum exclamat pag. 194. *actum est de vobis Augustiniano-Thomista (& Thomistico-Bernardini) in aliis quoque materiis, si versatili hoc & terribili gladio Author Dissertationum (putat se ipsum) ab hoc versatilis Probabilitatis defensore (à me) prosternatur. Nam prosequetur victoriam, & eodem in aliis Adversarios invadet, hoc modo: vel sententia Augustiniano-Thomistica, quod non detur scientia media, quòd decreta Dei sint intrinsecè efficacia, quòdque Deus per ea non solum prædefinierit actus bonos, sed materiale etiam peccati, & ad hoc prædeterminet, quòd gratia Dei sit intrinsecè efficax, & prædeterminans physicè. &c. potest argumento certo demonstrari, vel non? si potest, ergo cæcitatæ gravissimæ arguitis innumeros præstantissimos Doctores & totam Societatem: si verò non potest: qui igitur & quales estis vos Thomista*



*mista absque credentialibus sententiarum harum novi & obrusi Praecones? quid vobis videtur viri gravissimi? &c.* Ecce ut iterum parturiunt montes: demus obstetricem. Respondeo, Viros gravissimos esse utique *Thomistas*, & discrimen facile videre in speculativis & practicis. Nam ex eo quòd non possit demonstrari intrinseca efficacia Decretorum (idem est in aliis) non rectè inferitur: ergò non est efficax intrinsecè; ex eo autem, quòd non possit ostendi latam vel promulgatam esse legem Probabilioristicam, rectè sequitur in justo prudentis iudicio, ergo lex non est: & libertas voluntatis tamdiu in possessione relinquenda est, donec probetur. Ecce ut obstetricante hâc responsione *procurrit ridiculus mus.* Sed

§. Quæramus nunc: dato etiam (sed non tamen concessio) quòd doctrina probabilioristica esset absolutè probabilis; utrùm tutò adhuc liceret sequi probabilisticam? Respondeo & dico, quòd etiam sic liceret: quia ex tot innumerorum Doctorum ac Theologorum concordia suffragio pro eo, quòd liceat sequi, habetur sufficiens certitudo moralis de eo, quòd liceat sequi, ergo licebit. Nemo enim sobriè prudens plus unquam exigit à subjecto tot infirmitatibus mortali, ad licitè operandum, quàm certitudinem moralem.



## §. SECUNDUS.

*Utrum doctrina probabilistica patia-  
tur in propositionibus damnatis?*

1. **R**espondeo & dico, eam in limitatio-  
nibus strictis & cautelis requisitis  
intellectam, minimè pati. Ac pri-  
mùm quidem credo apertè satis ex  
allatis constare, quantùm absumus à doctrina  
propositionis 27. ab Alexandro VII. damnatæ,  
quæ sic habet: *Si liber sit alicujus junioris & mo-  
derna, debet opinio censerì probabilis, dum non con-  
stet, rejectam esse à Sede Apostolica, tanquam impro-  
babilem.* Quis enim dubitet, quin ex temerario  
judicio sæpe lapsus fuerit, & labi deinceps possit  
junior & modernus, quando apparet, etiam Pa-  
ternitatem Vestram adeò turpiter lapsam fuisse in  
censuranda & condemnanda doctrina probabili-  
stica?

2. Improbamus quoque, & non solummodo  
velut scandalosam, sed velut apertè falsam rejici-  
mus eam, quæ est ordine prima inter damnatas  
ab Innocentio X Ita habens: *Non est illicitum, in  
Sacramentis conferendis sequi opinionem probabi-  
lem de valore Sacramenti, relicta tutiore, nisi id ve-  
ret lex, conventio, aut periculum gravis damni in-  
currendi.* Hinc sententiã tantùm probabilis uten-  
dum

*dum non est in collatione baptismi, ordinis sacerdotalis aut Episcopalis.* Quippè hoc intolerabilis temeritatis foret, & gravis irreverentiæ erga institutorem Sacramentorum, nullitatis periculo exponere Sacramenta, ubi certitudo eorum procurari facile posset. Sed de hoc pluribus infra §. 5.

3. Ad tertiam quoque, quæ sic habet: *Generatim dum probabilitate siue intrinsecâ, siue extrinsecâ, quantumvis tenui, modò à probabilitatis finibus non exeat, confisi aliquid agimus, semper prudenter agimus:* Facilis patet Responsio, quia hoc non licet in dubio facti, ut paulò inferiùs ostendetur; adeòque non generatim licet. Præterquàm quòd *tenui* etiam in dubio juris, ambigè intelligatur. Posset enim istâ voce intelligi (quòd dictum volo sine interpretatione) opinio solùm probabiliter probabilis seu *crepera*, cui in dubio etiam juris non patrociamur.


4. Ad quartam similiter, quæ sic habet: *ab infidelitate excusabitur infidelis non credens ductus opinione minùs probabili:* Respondimus supra, ubi diximus opinionem probabilem, strictam & absolutam non dari pro quacunque infidelitate & hæresi. De sola autem probabilitate absoluta & certa procedit controversia nostra.





## §. TERTIVS.

Quenam sit Radix damnatarum  
Propositionum ?

I.  D quaestionem hanc respondet Paternitas Vestra in sequentibus formalibus pag. 14. prioris libelli de Radice, scilicet : *Radice[m] precipuam esse permissam ignorant[er] contra jus Divinum, naturale, & positivum peccantibus securitatem, & vagam Probabilitatem, post quindecim potissimum secula in Ecclesia quasi fortuito natam, à pluribus tandem reverenter nimis susceptam, & sub veritatis veste ad tollenda è mundo peccata, & angustam cœli viam dilatandam, tanquam prudentem aetionum humanarum directricem omnibus obtrusam.* Ita legitur sub initium libelli prioris de Radice.

2. Ut mentem meam super his aperiam, pauca rogatam volo Paternitatem vestram. Primum est, an t[em]p[or]e ignorant[er] cadat super permissam, an super peccantibus? Si primum: igitur Probabilistæ sunt ignorantes: sed fatetur Paternitas Vestra pag. 57. esse eos viros doctos, uti reverà sunt ex omni statu & omnibus familiis Religiosis. Dicendum igitur, quòd cadat super peccantibus. Sed quaero, utrùm peccantibus ignorant[er] ignorantia vincibili & voluntaria, an invincibili & involuntaria? hæc excusat juxta Paternitatem

H 3

Vestram

Vestram; sed non illa. Non utique volet tot talesque Doctores præstantissimos Probabilistas arguere, quòd ignorantiam vincibilem in suis ovisculis permittant, approbent, suadeant, adeoque & has & seipso gehennæ incendiis addicere studeant. Quid igitur? an invincibilem? nec hoc quidem: sed illud verè & rectè docent; quòd obligatio certa ex lege vestra incerta imponi non possit.

3. Sed quæro iterum: Quid *vaga Probabilitatis* nomine intelligat? utrùm fortè temerariam opinandi licentiam? si hanc insectatur, jam non impugnat viros doctos & timoratos, eùm temeritas opinandi & operandi, sine calumnia his impingi non possit. Abutitur ergò P. tas V. ra hoc nomine, dum viros doctos & timoratos religiosos à se impugnari profitetur. De ortu Probabilisticæ, quod temerè asserit Paternitas Vestra, suprâ refutatum est. Prò qualia verba! quæ Amphibolix & tenebræ exquiruntur, ut decipiatur & in errorem inducatur simplex Lector!

4. Advertat nunc etiam Lector, quomodo probetur sententiam probabilisticam esse *Radicem damnatarum propositionum*. Pro antecedente sunt hæc: primò: *Ignorantia invincibilis excusat à peccato*. Secundò: *Non datur ignorantia invincibilis in jure naturali & Divino positivo*. Tertiò: *Non licet sequi sententiam minùs probabilem in concursu.* &c. Quartò: *Augustinus docuit omnia contraria Propositionibus damnatis*. Demus omnia: quid ergo?

ergo? conjicite consequentiam. *Ergo sententia probabilistica est Radix damnatarum Propositionū.* Huc omnes Dialectici, ut discatis novam artem inferendi. Attendite: repeto Enthymema; *Ignorantia invincibilis excusat à peccato; non datur ignorantia invincibilis in jure naturali & divino positivo; non licet sequi sententiam minus probabilem; Augustinus docuit contraria propositionibus damnatis: ergo probabilistica est radix &c.* Obstupescite Logici, obstupescite vim hujus demonstrationis; quam quia non penetravit *Sandæus*, ideo culpandus erat à Paternitate Vestra, quòd legisset quidem libellum de *radice*, sed non intellexisset. Quæro cujus culpâ? Scriptoris, an Lectoris? legi ipse, & plures legerunt me perspicaciores, nec hætenus ullus intellexit, quomodo ex hoc antecedente inferatur talis *radix*.

§. Sed ad rem. Si veritas placet præ falsitate, *radix potissima est*, novitatem magis quàm veritatem amantium ingeniorum jactabunda temeritas in sentiendo, & irrequietus pruritus non coërcitus in leviter scribendo. Hæc est verissima *radix*. Quinam verò hujus temeritatis & pruritus sunt rei faciendi? nominare possem: sed charitas suadet præterire. Remitto Lectorem curiosum ad *specimen Doctrinae Theologicae per Belgium manantis ex Academia Lovaniensi ab Anno hujus seculi 44. usque septuagesimum septimum,*

\*†\*


H 4

§. IV.



## S. QUARTVS.

*Qualiter procedendum sit in dubio facti?*

I.  Uomodo prudenter in dubio facti procedendum sit, facilis est expositio. Dicendum enim, si opinio minus probabilis sit in materia facti, ut v. g. quòd *aqua rosacea sufficiat ad baptismum: panis ex spelta confectus ad Eucharistiam, item: quòd hæc forma sit valida: baptizo te in nomine genitoris, geniti & procedentis.* Similiter extra Sacramenta: ut, quòd *hæ solennitates sufficiant ad contractum vel testamentũ validum:* item extra Sacramenta & contractus: quòd *hæc medicina sit depulsiva morborum,* & quæ similia sunt, casu quo certa materia, forma, medicina ad manum est: dicendum, inquam, unanimi Doctorum suffragio, non licere certâ relictâ incertam adhibere, adeòque nec ad usurpandam hortari, vel consilium dare. Probatum evidentem ex eo, quia charitas, vel sæpe etiam iustitia obligat ad succurrendum proximo pro vitando malo non solum spirituali sed etiam corporali, in magna imprimis necessitate, ubi facile succurri potest: ergo etiam pro vitando gravissimi damni periculo: quod nemo non Prudentium pro malo reputat, ut proinde hic

de hęc observandum sit: *quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris*. Nec enim putandum est, quod valor Sacramenti pendeat à qualiscunque opinionis probabilitate, sed ab institutione Christi: qui proinde si fortè non sic instituit, sicut tu putas, erit Sacramentum nullum: uti & medicina corporalis intelligitur satis non ex hoc accipere virtutem sanandi, quod tu probabiliter putes in ea esse virtutem sanandi; sed manet ejusdem naturæ, sive tu ita, sive aliter putes.

2. Adde, quod peccatum irreverentiæ etiam committatur erga institutorem Sacramenti, dum incerta materia aut forma extra necessitatem, id est, temerè adhibetur. Dico, *extra necessitatem*: in hac enim licitum est, imò obligatorium *in aqua* v. g. *rosacea baptizare*, vel etiam juscuro, si aqua naturalis ad manum non est: prodesse enim plurimum potest sic baptizari; obesse non potest. Idem est in aliis juxta regulam prudentiæ hęc & nunc expendendis. & sic permittitur Medicis, ut in ægro desperato tentetur medicina incerta, cum singuli ex ordinata caritate optent se potius exponi periculo accelerandæ mortis cum spe convalescentiæ, quam certæ morti obventuræ. Et hoc sensu intelligitur istud Galeni consilium, quo suadet Medicis ut *audacter & sinè metu interficiant*. Unde & intelligitur non licere sacerdoti ex justitia obligato missam legere pro singulis plurium, ut unicam solummodo legat pro omnibus. Licet enim probabile videatur, quod singulis æquè con-

H § ducat



ducat ac si pro singulis tantum in particulari locata esset: incertum tamen est, ideoque se periculo exponit non reddendi singulis quod debet.

3. Atque ut breviter notem, quid circa officium Confessarii specialiter hic observari conveniat: tradita haec doctrina etiam tenenda erit, quando incertitudo occurrit circa jurisdictionem per se requisitam ad valorem Sacramenti. Licet enim *Suarez, Bonac.* & alii probabiliter doceant suppleri ab Ecclesia, & revera Ministro jurisdictionem conferri quando juxta probabilem sententiam creditur habere jurisdictionem, eò quòd talis probabiliter æquivalet errori communi: incertum tamen est, & probabiliter ab aliis negatur. Unde audiendus non est *Palao* judicans doctrinam ante traditam non tenere in probabilitate jurisdictionis.

4. Si tamen sufficientia requisiti ad valorem dependeat à probabilitate operis, tunc etiam extra ultimam necessitatē, imò & extra causam notabiliter gravem per se licet sequi opinionem minus probabilem, uti communiter Doctores tradunt, & ratio est, quia hoc ipso, quòd quis in tali casu sequitur opinionem probabilem, facit, ut sufficientia ponatur ad valorem & effectum Sacramenti. Ac proinde ubi charitas vel justitia exiget, etiam tenebitur Confessarius conformare se opinioni probabili. Dixi per se: quia si specialis prohibitio Ecclesiae intercederet ob gravius malum, quod ex practicatione secuturum fortè præsumeretur

sumeretur, vel opinio non practicaretur sine scandalo &c. non liceret. Absolvi itaque poterit sine scrupulo poenitens, qui scitur etiam sponte ommittere peccatum mortale, dummodo probabiliter iudicet non esse mortale: vel etiam qui prudenter quidem formidat se commisisse rem gravem cum sufficiente notitia malitiae, dummodo probabiliter putet, etiam non commisisse. Quia licet forte commissum sit peccatum revera mortale, eo ipso tamen quod subijcere illud clavis omittat ex opinione probabili, facit confessionem formaliter integram, adeoque simpliciter sufficientem ad valorem & effectum Sacramenti. Super quo videri potest *Lugo de poenitentia disp. 16. n. 58.*


5. Ex his sequitur, valide absolvendum qui peccata venialia & mortalia nunquam licet confessi confiteretur Sacerdoti in sententia solum probabili habenti jurisdictionem: cum enim poenitens procedat ex bona fide, nullum obicem ponit. Unde etsi sacerdos forte non haberet jurisdictionem in mortalia, absolveretur tamen poenitens ab his indirecte; à venialibus autem directe. Periculum verò subire, ne forte solum indirecte remittantur mortalia, nullam Christo facit injuriam in Sacramento, cum sit validum & sortiatum effectum. *Ita Suarez Sanchez.*

*Oviedo & alii.* Plura hinc brevitas causa omitto.

\*\*\*\*\*:\*\*\*\*\*

S. Q V I N T V S.

*Quomodo curatoribus animarum sit  
procedendum juxta doctrinam  
probabilisticam?*

- I.  Uid intersit *benignum* inter & *rigidum* conscientiae moderatorem, facile patescit in sacris tribunalibus. Sunt enim, qui insigniter sane suos poenitentes, imò & seipsos fatigant examinibus super numero, specie, circumstantiis peccatorum, onerant gravibus injunctis poenitentiis, ad reiterandas anteaetas confessiones obligant, restitutiones imperant, consortia periculosa graviter prohibent: jejunia servari, vota impleri, officia recitari urgent: eaque agunt, ut poenitentibus vias non nisi tutiores tenendas permittant. Sunt alii, qui cum Apostolo compati infirmitatibus hominum didicerunt, iis se accommodant ubi tempus & ratio exigit, & dummodo opiniones certò esse probabiles, licet minùs tutas cognòrint, exigente sic æquitate rei, benigniùs juxta eas procedunt, si quid interrogandos ducunt poenitentes, id paucis suaviter faciunt, faciles jejunia laxare, dum subest rationabilis causa, votorum dubiorù nullitates declarare, officii obligationem remittere, in omnibus velut patres cum filiis

illis indulgentiùs agere, scientes hoc inter *Concionatorem & Confessarium* interesse, quòd ille venatoris instar è suggestu tubam iudicii palàm omnibus insonet, stentorià voce in vitia detonet, & velut alter Elias fulminet. Hic verò velut providus piscator clàm voce submissâ debeat cum omni benignitate & mansuetudine pœnitentes tractare, & velut pisces attrahere, qui minimo strepitu diffugiunt. Verbo: hoc benigni Confessarii unicè agunt, ut pœnitens post factum per moderatam diligentiam conscientiaë examen & humilem sinè dolo sui accusationem, doceatur de malè actis animitùs dolere, propositum emendationis efficax concipere, mandata Dei deinceps melius observare: quæ reliqua sunt, de his sollicitè minùs laborant, in misericordiam & pietatem ubique propensiores.

2. Ubi fatendum, quòd facilis in utraque viâ committatur excessus: justo tamen prudentis iudicio per se periculosior censendus est, qui nimius in rigorem inclinatur. Indubitatum est enim, reperiri ex omni statu viros ac mulieres, cuiusvis ætatis, officii, functionis, quos si in dubio juris ad gravia & suis inclinationibus contraria obstinatè velis adigere, frangas potiùs, quàm inclines, certamque iis damnationem accersas. In quibus proinde istud observari conveniet jure potiori, quod in forensibus iudiciis monet observandum *Honorius Papa relat. cap. fin. de transactionibus ita loquens: in his, in quibus jus non invenitur*

nitur

nitur expressum, procedas, equitate servatâ, in humaniorem partem declinando semper, secundum quod personas & causas & loca & tempora postulare videris. Monitum prudens, juxta quod velut auream regulam nisi in omnibus cautè & circumspectè processeris, id denique te, sed seriùs, aut affecutum videbis, ut infirmi fideles aut tardè, etiam sacrilegè, in luæ damnationis augmentum, Sacramenta frequentent, quæ Christus instituit in salutis remedia: aut abjectâ etiam salutis spe in quævis scelera deinceps inverecundiùs ruant.

3. Pudore suffundatur, qui judex in spiritua- libus constitutus, mansuetudine, pietate & discretione in legum expositione, superari se permittat à sæculari & politicâ judicum circumspectione. Juxta quam monet *Celsus* §. C. l. 18. ff. de legibus in hæc formalia: *Benignius leges interpretande sunt, quò earum voluntas conservetur.* Ex quâ eadem ratione inquit *Cajus* §. C. l. semper in dubiis ff. de regulâ juris. *Semper in dubiis benigniora preferenda sunt.* & *Marcellus* l. ea quæ in partes ff. eodem: *in re dubiâ, benigniorem interpretationem sequi, non minùs justius quàm tutius est. Subsumo: si tutius, ergo honestius, consultius.* Planè modestè & sapienter *Modestinus* l. 25. ff. de legibus ita concludit: *nulla juris ratio aut equitas patitur, ut quæ prouilitate hominum introducuntur, ea nos duriore interpretatione contra ipsorum commodum producamus ad severitatem, juxta quod &*  
D Tho-

D. Thomas docet 1. 2. q. 90. a. 2. leges conditas esse in utilitatem subditorum: non est igitur par, ut eas severe interpretemur cum tam grandi molestia & periculo subditorum, quia nulli debemus laqueum injicere. Unde idem S. Doctor ex Ep. 119. Augustini ad Januarium c. 10. inquit 1. 2. q. 108. a. 4. *ut* iis, quæ ex institutione SS. Patrum superaddita sunt præceptis nature, Christi & Apostolorum, moderationem attendendam esse, nè conversatio fidelium onerosa reddatur. dicit enim Augustinus ad inquisitionem Januarii de aliquibus, quòd ipsam religionem nostram, quam in manifestissimis & paucissimis Sacramentis Dei voluit misericordia esse liberam, serviliter premunt oneribus, adeò ut tolerabilior sit conditio judæorum, qui legalibus Sacramentis, non humanis præsumptionibus subjiciuntur.

4. Utinam, inquit Honoratus, rerum expertus, Patroni isti rigidiorum opinionum in basilicâ Principis Apostolorum confessionibus audiendis vacassent, certus sum fore, ut mentem mutarent, & de illo suo rigore remitterent. Cùm enim, uti omnino cautè & prudenter Granadus vir in spiritu versatus s. p. de Sacram. contro. 7. tract. 14. resp. 5. ad Sacramentum pœnitentiæ accedere sit unum ex difficilioribus, quæ humana imbecillitati in lege gratiæ præcepta sunt, reddantur, quòd fieri potest, minus difficilia, quæ ad illius usum seu susceptionem spectant. cui conformiter Joannes Gerson 3. p. lect. 4. de vitâ spir. Coroll. 11. dicti rationem assignans:  
quia

quia non eruuntur, inquit, homines à luto peccatorum, sed profundius plerumque in illud merguntur, quia desperatius: praterquam, quòd per eiusmodi sententias (nimiùm rigidas) horrendùm inquietentur conscientie. His adstipulatur Gabriel in 4. dist. 15. a. 2. ubi angelici Doctoris monitum inculcat: quia nisi evidenti ratione constet aliquid esse peccatum, incautum & malum est dicere, quòd sit peccatum. Quod, inquit, est ponere laqueos pedibus ambulantium. Eadem habet Suar. de Legibus l. 7. c. 15. Diana p. 4. tract. 3. resp. 58. Tambur. de sacrificio ritè peragendo l. 1. c. 6. n. 4. Marchantius & innumeri alii.

5. His addo exemplum Bernardini Realini, in cujus vita c. 12. ita legimus: ut omni, quo poterat, faciliori modo salutì animarum consuleret, sententias quæ in pœnitentium favorem cedunt, plerumque sequi solebat, pretiosissimi sanguinis Domini nostri, qui adeò dives est miserationum, minimè parvus & avarus. Et hunc allegandum duxi propter notam eximiæ Sanctitatis famam & prudentiæ singularis in Christo.

Plura qui volet, consulat Jacobum Granadum, Pasqualigum, Ludovicum Blosium, Bejam, Leandrum de SS. Sacram. & alios passim. Quos inter Laurentius Mayers ex Ordine S. Mariae de mercede redemptorum, cùm asseruisset tamdiu non debere aliquid mortale dici, quamdiu hinc inde rationes probabiles militant: hujus doctrinæ adstipulatorem citat ipsum D. Dominicum, qui etiam  
confi-


constitutionibus suis inseruit hæc verba: *Relaxanda est, quantum fieri potest rigiditas & austeritas in consiliis, ac homines benigne tractandi sunt.* atqui hoc non faciunt homines isti novi, qui benignam doctrinam dicunt & approbant esse *radicem propositionum damnatarum.*

Neque tamen hæc ita intelligenda sunt, quasi oleo solum utendum sit Confessariis & Curatoribus animarum; sed etiam vino. Circumspectione opus est, ut non palpentur solum vulnera, sed curentur. *Qui vitius nutriendis parcat & favet, ne contristet peccantem, tam non est misericors, quam qui cultrum rapere puero non vult, ne audiat plorantem.* Omnia cum sale discretionis fiant, ut nimia laxitas non dissolvat conscientias, sed foveatur filialis timor, de quo loquitur *Iob. c. 9. Verebar omnia opera mea, sciens quod non parceres delinquenti. Et Prov. 28. Beatus homo, qui semper est pavidus.* Testatur etiam *Gregorius: bonarum mentium esse, ibi culpam agnoscere, ubi culpa non est.*

7. Hoc denique suadendum venit Curatoribus animarum, ut ipsi pro studio majoris perfectionis assuescant probabiliore & tutiore vias eligere, & infirmis exemplo suo præire ad ea, quæ abundantioris justitiæ sunt. Nec enim fateor, officio viri boni & fidelis dispensatoris mysteriorum Dei fungeretur ille, qui juxta benigniores ubique sententias ipse viveret, & suos juxta has dirigendos sumeret, quando absque incommodo &




do & periculo spirituali possent pœnitentes, juxta ea quæ meliora & probabiliora sunt, ad portum salutis perducere. Consilium super his demus: Nemini tamen conscientiam peccati injiciamus.



### S. SEXTVS.

*Quomodo post damnatas propositiones procedendum sit Advocato, Judici, Religioso, &c. in dubio juris?*

I.  *D*ico licere *Advocato*, quamdiu potest, defendere causam licet minus probabilem, dummodo certo probabilem: prosequitur enim jus clientis. Si tamen ob rationes novas desinat esse probabilis causa, non tantum tenetur monere clientem, sed etiam desistere, cum nullum habeat jus *Advocatus* ad emungendum clientem in talibus circumstantiis per se loquendo: neque cliens ad vexandum adversarium. Nunquam tamen licitum est *Advocato*, utrique simul factioni oppositæ servire; quia id foret contra fidelitatem: licebit tamen successivè, dummodo non prodantur secreta.


2. Ju-

2. Judex non potest sententiam ferre pro causa minus probabili, ut ex allegatis & probatis tali: quia sic non satisfaceret officio habentis potestatem publicam ex legibus judicandi. Videatur super hoc *S. Thomas 2.2. q. 67. art. 2.* Imò super hoc damnata est *propositio secunda ab Innocentio XI.* quæ sic habet: *Probabiliter existimo Judicem posse judicare juxta opinionem minus probabilem.* Sed quid si utrimque causæ essent æquè probabiles? Respondeo, pro tunc damnari ab *Alexandro VII. propositionem vigesimã secundã,* quæ sic habet: *Quando litigantes habent pro se opiniones æquè probabiles, potest judex pecuniã accipere pro ferenda sententia in favorem unius præ aliã.* Itaque pro illo casu compositio ineunda, vel res dividenda, vel, si litigantes non acquiescant, ad altius judicium remittendi. Et hæc intellige in *causis civilibus*: quia in *criminalibus contra reum sanguinis* requiruntur argumenta certa. Utrum verò judex aliquem possit damnare ad mortem, qui convictus est in judicio, sed privatã tamen judicis scientiã scitur esse innocens, controvertitur. *S. Thomas* & alii dicunt licere; alii autem communiùs videntur negare. Ubi hoc tamen adverte, quòd doctrina allata non teneat in *causis privilegiatis*, quales sunt *causæ piæ, templorum, monasteriorum, hospitalium, pupillorum, &c.* quia dari videtur à legibus privilegium, ut suã etiam minore probabilitate ejusmodi causæ attrahant ad se judicis sententiam, Ex quibus vides magnam re-

quiri in Judice *scientiam, incorruptionem & circumspeditionem*, ut tale officium non temerè ad-eundum sit cupienti æternùm salvari.


3. Quod ad officium *Religiosorum & subdito-rum* attinet. Respondeo ex communi, obediendum esse præcipienti Superiori, ubi etiam præcipitur, quòd juxta minùs solùm probabilem sententiam licet. Ratio est, quòd Religiosus profiteatur viam ad perfectionem, seque ab ea via non recessurum voveat: adeoq; cùm perfectionis sit parere in omnibus, ubi certa peccati ratio non occurrit, ibi præsumendus erit superior esse in possessione ad imperandum. Igitur & subditus ad obediendum. Plura qui volet consulat *Au-thores*.





## §. SEPTIMVS.

### De ignorantia juris positivi di- uini & naturalis.

I.  Ultis & copiosè super hoc argu-  
mento pertractat Paternitas Vestra,  
calamum fatigans in his, quæ ver-  
bulo refutantur. Maximè autem  
ex variis textibus *S. August.* suaderenititur, non  
dari ignorantiam invincibilem juris divini natu-  
ralis & positivi. Quod etsi ad rem præsentem  
non propriè spectet; ne tamen sibi blandiatur,  
quasi persuaserit, breviter respondeo, longè aliud  
constare i. ex *Alberto Magno* qui in 2. dist. 12. a. 2.  
inquit: ignorantia juris est duplex; quia quoddam  
est jus universale, quod imponitur omnibus ad  
sciendum: & quoddam est particulare, quod non  
scitur nisi per studium. & puto quod prima est crassa  
& supina non excusans; secunda autem excusat vel  
à tanto vel à toto. sublimo contra Vestram Pa-  
ternitatem: si à toto, ergo est inculpabilis & in-  
vincibilis. Idem sed aliis verbis docet *Alberti*  
*Discipulus Angelicus Doctor* 1. 2. q. 94. a. 4. in O.  
ubi inquit legem nature quoad principia prima  
communia esse eandem apud omnes; non autem  
quoad quædam propria, quæ sunt quasi conclusiones  
principiorum communium. Neque hilum contra

horum doctrinam evincit Paternitas Vestra ex tot allegatis textibus S. Augustini.

2. Et quidem, quæ de ignorantia juris divini positivi adfert, sunt expressè contra ipsum Augustinum *tr. 87. in Joannem*. Ubi respondet eos, ad quos non venit Christus, non habere excusationem de omni peccato suo: sed de hoc peccato, quo in Christum non crediderunt. Cui conformiter in expressis terminis *D. Thomas 2. 2. q. 10. a. 1. docet*, quòd infidelitas, si accipiatur secundum negationem puram, sicut in illis, qui nihil audierunt de fide, non habeat rationem peccati (proprie dicti) sed poena: & quòd sic infideles damnentur propter alia peccata; non autem propter infidelitatis peccatum.

3. Quid autem videtur, quòd ipse Augustinus *lib. 1. de sermone Domini c. 29.* non audeat peccatum eum condemnare, qui concesserat, ut uxor sua concumberet cum creditore, iudicans id sibi licere pro evadendâ morte vel carcere? item quòd *l. 1. de serm. Dom. c. 16.* definire non audeat, utrum uxor à viro dimissa vivente illo, absque adulterii malitia possit ducere alium virum? si ipse Augustinus hæc definire non audebat, utique quia invincibiliter ignorabat. Si autem in illo inveniebatur talis ignorantia, multò ergo magis in aliis dari potest.

Sed inquit Paternitas Vestra, quod potuissem ego aliud responsum Augustini videre §. 4. in oppositione doctrine ipsius contra propositionem §. 0. damnatam. & ibi Augustinum generaliter loqui de adulterio extra circumstantias tales peculi-

res

res considerato; vel certè non nisi cum formidine errandi, rem probabiliter exponere. Citati à nobis textus sunt nimis clari: inspiciantur.

4. Confirmatur doctrina hæc per experientiam, quam habent Confessarii complures de peccantibus aliquando assuetis vitio, quod est contra naturam, sine conscientia peccati. Quòd autem Respondet Paternitas Vestra, *juvenes non audent illud committere coram Parentibus*, atque exinde arguit conscientiam illis dictare, quod talia sint vetita. Respondeo, quod neque alia necessitatis naturalis audeant facere coram honestis: ex quâ tamen verecundia naturali in eodem membro, non potest inferri conscientia peccati.

5. Quòd autem dictavi difficile esse, intellectum certo argumento & clarè convincere, quòd aliqua in circumstantiis certis spectata jure naturæ prohibeantur, nimium mihi videtur exaggerare Paternitas Vestra in libello, qui curiosis adolescentum etiam Philosophorum & humaniorum manibus teritur &c. possumus dictare verbum in Theologia apud prudentes & maturos, quod scandalum parere natum est, si coram parvulis proferatur. Sufficiat Paternitati Vestræ, quòd infanda vitia in dictatis meis asseruerim certò esse prohibita jure naturæ, pro omnibus circumstantiis: & hoc certò sciri & credi à nobis. Frustra studet me in suspicionem trahere apud simplicem lectorem, quasi aliquid periculosè


docuerim in damnatâ ab *Innocentio XI. Propositione* 48. & 49.

6. Ad postremum apologiæ caput progredimur, luculenta exhibituri exempla de eo, quàm sacrosanctè in praxi observent & observare studeant Probabilioristæ legem, quam infirmis miserorum mortalium conscientis tentant imponere. Nihil verò attingam, nisi quod extraham ex ipsismet libellis Paternitatis Vestræ de radice. De cæteris ad privatam vitam pertinentibus non est meum judicare. Hoc solùm iterum iterumque opto, ut Deus probabilioristicos Doctores non judicet secundum legem, quam statuunt. Deinde à lectore id peto, ne vitio mihi vertat, quòd tuendam susceperim famam, tum communem Societatis, omniumque Doctorem probabilistarum; tum & specialiter meam ita graviter læsam, & vulgatis libellis proscissam. Optabam, fateor, observare potius istud Apostoli *ad Rom. 12. Non vosmetipsos defendentes clarissimi*; sed tacere vetant circumstantiæ statûs & functionis meæ, in quâ parùm fructificare potero in Christo, nisi possessionem bonæ famæ retineam. Qui scribit, & recusis libellis ea spargit, quæ vult; audiat, quæ non vult.

\* \*

\*

RES.




RESPONSIONIS  
 APOLOGETICÆ  
 CAPUT V.

Exponitur, quàm parum in praxi  
 memor fuerit Adversarius do-  
 ctrinæ suæ probabilioristicæ.

§. PRIMUS.

*Impacta calumnia de eminentibus  
 Jansenistis in examen vocatur.*

I.  Um hæc gravissima controversia  
 probabilistica, ordine studiorum  
 sic exigente, tractaretur à me in  
 scholâ publicâ Theologicâ, & sci-  
 rem authenticam nullam auctoritatem opinionum  
 advenire posse, nisi ex iudicio excellentium à  
 prudentiâ, doctrinâ, probitate Doctorum: volui  
 ostensum auditoribus meis (quod satis hæctenus  
 puto probatum) paucos admodum; si tamen  
 etiâ paucos; Probabilioristicæ Patronos, virosque  
 I § minime



mnino bonos, omnique exceptione majores reperiri. Cùm ecce *veritas*, ut in proverbio est, mox *odium peperit*: odium in oculo canonico Eximii Magistri cæcitatem, cæcitas infamiam, eamque non simplicem, sed libellis in publicum vulgatis intra & extra urbem hanc circum latè contra me sparsam. Allegabo formalia Paternitatis Vestræ *ex libello dissert. tripl. in dissert. 3. pag. 61. & sequentibus.* (hac enim infamiâ ad pudorem meum pro famâ Paternitatis Vestræ notantur non pauca pagellæ) ita ergo habent.

*Idem disputator* (me intelligit, cui varia indit nomina, ut appareat quod in proverbio inter Germanos dicitur: *Liebe Kinder haben viele Mähen*) *in disput. de conscientia probabili* asseruit, precipuos Patronos hujus sententia (probabilioristica) esse *Jansenistas*: & quibusdam viris Ecclesiasticis & Religiosis nostræ sententia propugnatoribus, diversarum Universitatum, Doctorum, & aliorum Eruditissimorum virorum judicio, doctrinâ & pietate eminentibus, conatus fuit inurere notam eminentia inter *Jansenistas*. Adducemus, inquit, argumenta sententia negativæ (quæ scilicet negat licere sequi opiniones minùs probabiles in concursu &c.) Primum desumitur ab auctoritate eorum, de quibus constat, quòd illam sententiam docuerint, & libris editis defenderint &c. Precipui Patroni sententia negativæ sunt *Jansenista*, quos inter eminet *Sinnichius Doctor Lovaniensis*, item *Ludovicus Montaltius*, *Prosper Fagnanus*,  
Merenda

*Merenda, Vincentius Baronus, fictus Philalethes Carmelita Discalceatus, Mercorus, Gonet, Stephanus Gradus & alii pauci, inter quos recentis Dissertationis Theologicae de radice Author. Has propositiones tanquam practice probabiles Disputator formavit, & audacter publice asseruit sine ulla probatione addita.*

2. Post hæc incipit Paternitas Vestra encomiasten agere talium virorum, ut supra meminimus: meque graviter reprehendit, quòd *notam Jansenismi*, illis inusserim. Post encomia *Gonetti*: ecce, inquit Paternitas Vestra *quàm discrepantia sint aliorum de hoc præclaro Patre iudicia à iudicio Opponentis, qui eum inter eminentes Jansenistas, id est, adherentes propositionibus à sede Apostolicâ damnatis, aut eas in dubium revocantes numerat.*

Post encomia *Julii Mercori*, talia subjungit Paternitas Vestra: *hic vir à doctissimo Societatis Professore tantopere laudatus, iudicio Opponentis eminet inter Jansenistas.* Similia post aliorum encomia recantantur. Post laudes *Merendæ Jurisconsulti* subnectit: *iudicio virorum prudentium consultius fuisset charitati & iustitiæ, si viros illos præclaros, quorum humilis posset esse discipulus (opponens) taliter non specificasset, & alia plura omisisset. Circumspectio defuit. Sequitur: Si Montaltius fuerit Jansenista, saltem in hoc non fuit, si docuerit non esse licitum in concursu opinionum sequi minus probabilem, quia hæc est doctrina Augustiniano*

*stiniano-Thomistica* (cur non additur Thomistico-Bernardina? pluribus placere potuisset) Postea proceditur ad *Fagnanum*, de quo ita Paternitas Vestra: *Illustrissimus vir Prosper Fagnanus tot laudibus celebratus à plurimis gravissimis viris, iudicio Opponentis non solum est eminentis Jansenista: sed calamus etiam ejus prurivit ad maledicta, & aures non patuerunt bonis Magistris. Hac asseruit (Opponens) & non probavit, non satis memor sui dicti illius: qui bonae famae possessionem cupit retinere, debet à carpendâ bonorum virorum vitâ abstinere. judicet prudens Lector, an de hujusmodi assertis gloriari, sit in domino gloriari? sic oportet &c.* (ista sunt formalia Paternitatis Vestrae cum &c.) De Sinnichio ita scribit eadem Paternitas Vestra: *An hic vir post summorum Pontificum bullas docuerit propositiones damnatas, mihi non constat. Dixi propositiones damnatas: quia si illos vocet Jansenistas, qui doctrinâ tradunt quamcunque etiam à Jansenio traditam & non prohibitam, posset etiam ipse vocari Jansenista, imò Lutheranus & Calvinista. Unde hujusmodi impertinentibus assertis non terrentur viri cordati à defensione antiqua doctrina &c.*

Piget me plura excerpere è libello. Si otium est Lectori, poterit ipse inspicere à pag. 61. citata usque ad 73. ubi incipiunt Cantica Canticorum prioris libelli super radice de verbo ad verbum, nisi quòd notis musicis interpungantur, quibus Opponentis aures insigniter vapulent.


3. Et super his & pluribus temerariis & falsis assertis

assertis à Paternitate Vestra ædificant Approbatores quidam *triplicis dissert.* dum innocentem talibus censuris afficiunt. Quibus tamen, quia ex quali quali errore ad hoc inducti sunt, uti & Paternitati Vestræ auctori talium assertorum, libenter condono: atque ut deinceps se probabilioristicis principiis meliùs conformet, gratiam Christi opto, pro gratia, quam Opponenti, id est, mihi, defuisse in pluribus condolenter asserit Paternitas Vestra. Item gratias addo pro eo, quòd me tam benignè corripiat, atque ad meliorem aliorum de Societate nostrâ Doctorum circumspeditionem remittat.

4. Ad totum argumentum impactæ calumniæ tam copiosè & invidiosè deductum, verbo respondeo, negando quòd talia dictârim ego in scriptis Theologicis, qualia allegantur. Provoco ad testimonia discipulorum, inter quos facilè triginta Religiosi diversorum Ordinum, & sæculares quamplurimi.


5. Neque est, quòd quispiam suspicetur aut studeat aliis suspicionem injicere, ne fortè corrumperim ego vel alius, discipulorum totac taliū animos ad conspirandum cum certissimo periculo gravioris infamiæ, in exhibendis dictatorum meorum falsatis exemplaribus (qualia tamen argumenta ab æmulis exquiruntur ad excusandas excusationes, ut minùs confusi appareant: utique conformiter principiis suis probabilioristicis)

risticis) Ecce pro fide & certitudine omnibus faciendâ, veritatem per authentica Notarii publici & juratorum testium instrumenta comprobabo.



## §. SECVNDVS.

### *Diluitur calumnia per instrumentum Authenticum.*

1.  *N* nomine Domini Amen. Anno à Nativitate ejusdem Domini nostri JESU Christi millesimo, sexcentesimo, octuagesimo secundo, indictione quinta, Pontificatus Sanctissimi Domini nostri INNOCENTII Divinâ providentiâ Papæ undecimi anno sexto, die verò Mensis Aprilis decimâ quintâ, in mei, Notarii publici, testiumque infrascriptorum presentia personaliter constitutus comparuit Admodum Reverendus & Eximius P. Bartholomæus Fibus, Soc. Jesu, qui Opponens dicitur in libello Dissertationis triplis, habens & tenens in manibus suis quandam papyream schedulam, injuriosa quadam ipsi in libello dissertationis triplicis recenter edito, ut ipse Opponens querulosè exposuit, in honoris ipsius sic exponentis denigrationem illata continentem; quam idem Opponens de verbo ad verbum legit, & injuriam in dicta schedula expressam ad animum revocavit, meque Notarium & testes requisivit, & alia fecit, prout in dicta schedula continetur.

2<sup>ur</sup>. Cujus schedula tenor sequitur & est talis, &c.

2. Domine Notarie, coram vobis & testibus ego infrascriptus compareo, querulosè exponendo, qualiter libellus quidam, Assertio Triplex Theologica intitulatus, Colonia Agrippina, hoc currente Anno M. DC. LXXXII. in lucem editus sit, in quo non tantùm ab ejusdem authore injuriosè provocatus, sed & à certis dicti libelli Approbatoribus illicito ac mordace stylo perstrictus, non leve honoris ac famæ detrimentum tulerim: idque sub quæsito quodam colore, quasi in prælectionibus Theologicis ad calamum per me dictatis ausus fuissèm Prosperum Fagnanum, Merendam, Baronum, Pseudophilalethen, Mercorum, Gonetum, Gradium Jansenismi notâ publicè perstringere, prout me perstringisse ex ipsismet prælectionibus seu dictatis meis constare præmentionata Dissertationis triplicis Author ignaris persuadere nititur sub sequenti verborum tenore, quæ pro meis sinistrè allegat.

3. Præcipui Patroni sententiæ negativa sunt Jansenistæ. Quos inter eminet Sinnichius Doctor Lovaniensis, item Ludovicus Montaltius, Proffer Fagnanus, Merenda, Baronus, Mercorus, &c. cum tamen dictatorum meorum formalia longè aliter se habeant, videlicet ut sequitur: Præcipui Patroni sententiæ negativa sunt Jansenistæ, quos inter eminet à Saule Ex-Rege & calumniis in Societatem notissimus Sinnichius Doctor Lovaniensis. Istis adjunxit se mendacissimus calumniarum in eundem Ordinem fabricator Ludovicus Montaltius, & si-

Et similis farina socius Wendrockius (notentur quæ post sequuntur) Pro negativa item sententia stad fortiter Prosper Fagnanus nobilis Canonista Romanus, Et ceteri post hunc supra citati. Proinde apparet præsuppositum esse omnino falsum Et calumniosum.

4. Quandoquidem ergo ex supradictis evidenter patet, quàm iniquè læsus sim: meritò hujusmodi atroces meo honori ac fame factas Et longè latèque typis divulgatas contumelias ad animum revocavi, ac vigore præsentis schedulæ iterum iterumque, præsertim quòd publicam doctorem tangant, in animum revoco, justam de iisdem vindicationem Et actionem suo tempore Et loco faciendam mihi reservans. Et ut de dictatorum meorum veritate eò luculentius cuilibet constare possit: Vos D. Notarium Et testes hisce requiro, ut Aulam publicam adeatis, Auditorum scripta inspiciatis, cum veris paulò ante à me assertis formalibus conferatis, collationetis, Et an consona reperiatis, vestro testimonio palàm faciatis, de superque instrumentum si ve instrumenta erigatis, ac in forma juris pro condigno communicetis.

Dominationis Vestræ

Officiosissimus in Christo servus

B. F. S. J. m. pp.

s. Unde

§. Unde ego Notarius cum infrascriptis Testibus ad requisitionem bene memorati Opponentis intra horam secundam & tertiam pomeridianam me contuli ad Aulam Theologicam, in qua ipse multis Auditoribus stipatus docebat. Ac imprimis produxi & prælegi præmentionatum librum sub nomine Dissertationis triplicis Theologicae, hoc currente anno M. DC. LXXXII. hic Colonia typis divulgatum in clausula concernente fol. 61. qui habet sequentia formalia: Præcipui Patroni sententia negativa sunt Jansenista, quos inter emittet Sinnichius Doctor Lovaniensis, item Ludovicus Montaltius, Prosper Fagnanus, Merenda, Baronius, fictus Philalethes, Mercorus, Gonet & alii. Ac deinde legi ex scriptis memorati Opponentis eandem clausulam, cujus formalia hæc erant: Præcipui Patroni sententia negativa sunt Jansenista &c. prout supra. Pro negativa item sententia stat fortiter Prosper Fagnanus &c. Insuper altâ & intelligibili voce petivi à Dominis auditoribus Theologicis qui ductum Tractatum sub memorato Professore exceperant, quatenus surgerent, mihi que scripta sua ad inspiciendum & examinandum traderent: & surrexerunt ex his, qui scripta illa ad publicam scholam contulerant, numero circiter triginta duo, & edixerunt quod ipsorum scripta essent consona cum scriptis Eximii Opponentis, offerentes cum hoc eadem mihi Notario & testibus ad inspiciendum & collationandum. & non pauca ego Notarius una cum testibus inspexi, cum scriptis memorati Opponentis con-



tuli, collationavi, & reperi eadem cum iisdem omnino consona. Super quibus actum Anno, indictione, mense, die & loco quibus supra, presentibus, praeter plurimos auditores extraneos, Reverendis Dominis Joanne Steigeren, Canonico Lausenbacensi; & Ottone Guntersdorff, Vicario Ecclesiae Parochialis Dynastia Weisoveiler Patria Juliacensis, Testibus fide dignis, ad praemissa specialiter assumptis vocatis & rogatis.


Et quia ego Jacobus Meul SS. Apostolica & Cesareâ auctoritatibus publicus & approbatus Notarius, ad praemissum actum unâ cum testibus requisitus fui, eundemque perfeci, & omnia modo praexpresso reperi & vidi, idcirco praesens documentum de super confeci, publicavi, scripsi, subscripsi, solitoque Notariatus mei signo munivi in fidem requisitus.

Jacobus Meul Notarius qui supra m pp.



## §. TERTIVS.

*Lex charitatis & justitiæ ab Adver-  
sario probabiliorista graviter  
lesa ostenditur.*

1. cce formalia, quæ ad calamum di-  
ctavi. Quid videtur? Egone ex his  
legitimè sum convictus, quòd *Pro-  
spero Fagnano* & sociis, *Jansenismè*  
*calumniam* impegerim? & istud quidem in sensu  
tam odioso, quem exponit Paternitas Vestra? Ita  
scilicet: & non tantum convictus, sed etiam  
damnatus, immò & ad infamem catastam coràm  
tota universitate & urbe actus sum, & vario epi-  
thetorum stigmatè notatus, velut manifestus  
calumniator, velut ignorans, procax, petulans,  
&c. idque uno eodemque & accusatore, & teste,  
& judice Probabilioristâ, qui propositiones suas  
tanquam practicè probabiliores formavit, &  
audacter publicè asseruit, & editis libellis vulga-  
vit sinè ulla probatione, ut insisteret sacris doctri-  
næ suæ principiis, Quibus etiam conformiter in-  
juriosas quorundam approbationes, & imprimis  
caninam Fratris Leonardi curavit imprimi, non  
requisito Censore ordinario: & impressas spar-  
gere non cessat, post compertam licet allegato-  
rum contra me falsitatem, lucri potiùs dispen-  
dium.

dium pro impressore reveritus, quàm famæ publici Professoris è Societate JESU. Ut superi vos ament, qui sic probabiliores ubique & tutiores sententias ex obligatione tenendas alios docetis.


2. An non jure optimo hìc mihi liceat retorque in ream Paternitatem Vestram, quæ in me immerentem nullo jure detorsit: *Ubi iustitia? ubi charitas? ubi circumscriptio?* Verùm parco, & ab his plus exaggerandis abstinco. Hoc solum quæro, quod ad controversiam probabilisticam pertinet: an non probabilius & tutius fuerit non damnare nisi auditum: & vel fallum, vel convictum duobus minimùm testibus omni exceptione majoribus, juratis &c.

3. Sed inquiet Paternitas Vestra non dubitavi: certum habui: exceptori dictatorum credidi. Ita certè. Multa habent velut certa & jactant probabilioristæ: & inter hos Paternitas Vestra, in quibus falluntur. Leviter credidit, & turpiter erravit, dum nimium avidè quæsitam captavit & arripuit occasionem traducendi me non aliunde reum, nisi quia ausum contradicere censuræ probabilioristæ, cujus contradictoris propterea imminutam cupiebat auctoritatem.

4. Sed insto iterum contra Probabilioristam: an non probabilius & tutius sit, post errorem detectum, suppressere infamatorios libellos? immò & publicè sparsas injurias, pro restitutione honoris & famæ meæ, publicè revocare, & chartas famosas retractare? eligat, suppressat, revocet,

est, retractet, moniti Augustiniani memor: *Non dimittitur peccatum, nisi restituatur ablatum.*

Dicit Paternitas Vestra, non est facta injuria saltem formalis: & si qualiscunque ab insciente facta est, revocata est per *Appendicem dissertationis* in pagella postmodum impressam. Videamus, Eximie Pater, & appendicem examinemus.



## S. Q U A R T U S.

*Allegatur & refutatur appendix dissertationis.*

**A**ppendix; quam imprimi curavit Paternitas Vestra, reverita ne praevenirem, à quo sat novit responsa ad lucem jam dudum fuisse parata, sic habet: -

*Ne injuria fiat illi, quem in tertia dissertatione frequenter nominavi Opponentem: vel ego arguar malâ fide processisse: te monitum velim, Lector. benevole, quod in dicta dissertatione ex mihi communicato dictatorum exemplari, bonâ fide allegaverim verba, prout expressa inveni. Impressâ autem dissertatione indicatum mihi fuit, in aliis dictatorum exemplaribus haberi hoc modo: precipui patroni sententia negativa sunt Jansenista, inter quos eminent Esc. Pro eadem etiam stat fortiter Prosper Fagnanus Esc. Si iste sit aliorum omnium exemplarium*

rium tenor, credibile est, quod mihi subministrata exemplaris scriptor studuerit brevitati, & omisi inhonorificis epithetis, Sinnichio & Montaltio tributis, tanquam ad rem non pertinentibus, existimaverit sensum à dictatore intentum adhuc salvatum iri. Ut ut sit, Opponenti mentem suam interpretanti libenter credam, si unum quod mihi ex aliis restat, dubium ortum sustulerit. Cum enim fateatur Opponens, quod Mercorus sit unus è notatis: ecquâ igitur notâ si non Jansenismi? Concluditur appendix in eo, quod optet Paternitas Vestra conservari pacem inter Religiosos. Rectè habet.

2. *Ne injuria fiat* ( ita incipit Paternitas Vestra ) Nimiùm atrox facta est. Pergit: *ne arguar malâ fide processisse.* Non arguam: errorem vocabo, si vel hoc agnoscat, & desistat lædere ac vulgare infamatorios libellos, imò & non quærentium manibus obtrudere per officiosum Ordinis sui Licentiatum. Pergit Paternitas Vestra: *indicatum mihi fuit.* &c. ego ipse indicavi, cum pro gradu Magisterii obtinendo convenire debui ex recepto more Eximios Magistros sacram facultatem pro tempore regentes, è quibus & Paternitas Vestra est. Controversiæ autem nostræ personalis & privatae, non ego sed ipsa mentionem injecit, eaque retulit à me responsa, quibus valde percelli apparebat. Pergit Paternitas Vestra: *si iste est sensus.* Quæ sint formalia dictatorum & quis sensus, integræ mentis Lectori satis potest patere ex allegato authentico Instrumento,

mento. Millies legantur & excutiantur dictata mea, & nihil reperietur, quo errorem suum possit obtegere. Unus altervè notatus à me (sed non tamen notâ Jansenismi) est *Baronus & Pseudophilalethes*, de quibus supra.

3. Sed rogo iterum, Eximie Pater: ubi etiam hinc probabilioristica vestra? an non probabilius & tutius erat Viro Religioso, Sacerdoti, & Professore Theologiæ, tam graviter asseveranti, imò & sub juramento coram Paternitate Vestra contestanti, *Prosperum Fagnanum* & qui in dictatis sequuntur, non tantùm à se non affectos notâ Jansenismi, sed id ne in cogitatum quidem venisse: an non, inquam, tutius & probabilius erat, huic absolutam fidem præbere, & sic à criminationibus istis absolvere, cum humili erroris proprii agnitione; quàm pro palliando manifesto errore illam conditionem apponere? *Si iste est tenor, credibile est &c. credam si &c.* non sufficit hæc conditionata revocatio, quæ Lectores suspensos tenet de veritate. Conditio depurata est: revocatio debetur absoluta, ne suspicio contra me maneat in Lectorum animis, & averfio in voluntatibus. *Actore non probante absolvendus est reus.* Et tamen adhuc dicitur, & dicitur de me, & à tali Viro Probabiliorista dicitur: *credibile est si, &c. Credam si, &c.*

4. Pergit se excusare ex eo, quòd *subministrati Exemplaris scriptor, aliter ac dictavi, exceperit, & excepta porrexerit.* Optarem pro inno-

centia Paternitatis Vestrae exhiberi, & in medium produci præclarum hunc discipulum è meis, qui Professoris sui dictata adeò fideliter, (scilicet) ad meam; feliciter ad mentem Paternitatis Vestrae correxit. Si contra me ab ejusmodi vel etiam aliis extimulanda iterum esset, sicut exposuit mihi se extimulatam fuisse Paternitas Vestra (Novi à quibus: de quibus melius fueram promeritus) paulò circumspectius deinceps & cautiùs credat, & probabilioristicae suae meminerit.

5. Quod de *inhonorificis epithetis Montaltio, & Sinnichio tributis*: Respondeo, graviora; si non ex mente Paternitatis Vestrae; at Virorum tamen bonorum justo judicio promeritos fuisse. Ad rem quoque pertinebant epitheta, ut leviculi isti Patroni & aperti Religiosorum hostes & improbi Calumniatores probè dignoscerentur, super quorum autoritate ædificatur probabilioristica ista doctrina & censura. Cætera nihil ad rem.

6. Quod optet Paternitas Vestra inter Religiosos pacem conservari, Opto & ego quàm maximè. Neminem læsi: læsit gravissimè Paternitas Vestra.

7. Denique interrogor, quâ notâ Mercurus notatus fuerit, si non Jansenismi? Responsum est supra, quòd notâ modestiæ & doctrinæ. Et nè quid omittam respondere ad omnia, quæ objecta sunt §. 1. præsentis capituli in eo reprehendor ob læsum *Fagnanum*. Respondeo, non posse mihi vitio verti, si retorqueam in Auctorem, quod malè ipse in nos de *pruritu aurium*.  
Possem

Possent plura: sed parco. Hoc magis mirandum, quòd ne *Montalius* quidem sat habeatur reprehensione dignus. Doctissimos & Religiosissimos Probabilistas Probabiliorista noster dicit esse scelerum Patronos, & religioni sibi ducit infamissimum scurram, reprehensione dignum agnoscere: meque insuper taxandum sumit, quasi inhonorificis epithetis ad rem non pertinentibus eum perstrinxerim.

8. Si de *Sinnichio* non constet Paternitati Vestrae, utrum post Bullam Pontificis docuerit propositiones damnatas: quid tum? Ego plus non dixi, nisi *ominuisse inter Jansenistas*. Si tamen quid docuerit, etiam post damnatas propositiones velit videre Paternitas Vestra, *specimen doctrinae ipsius extat in specimine doctrinae manantis per Belgium ex Universitate Lovaniensi, ab anno hujus seculi quadragesimo quarto usque ad septuagesimum septimum.*

9. Sed ponamus nunc tamen à Paternitate Vestra etiam in appendice contentam fuisse categoricam & absolutam palinodiam & revocationem erroris sui. At quæro, cur appendices ejusmodi haberi non possint? Venales extant libelli infamatorii: sed non appendices. Testes accipio, quamplurimos, qui empturi apud impressorem, nulla exemplaria extare repererunt. Ut multa sunt in speciem.

10. Unum deniq; hinc rogatam velim Paternitatem Vestram, ut velit semper in optimam partem




rem interpretari mea dictata, juxta regulam, quam præscribit Sandæo. Tametsi enim particulam distinctivam, quæ abstergit calumniam, in dictatis omissem, potuissent tamen ac debuissent in eandem interpretationem incidere particulæ ante *Montalium* adhibitæ, scilicet hæ: *quibus adjunxit se*. An non ita Eximie Pater? & hinc desidero monita & leges charitatis Sandæo præscriptas, & principia probabilioristica. Repeto quod supra, quia facilius est præcepta dare, quam observare: imponere aliis onera, quam portare. Judicet prudens Lector.



## S. Q V I N T U S.

*Fæda Ad-versarii Censuræ in doctrinam probabilisticam & ejusdem Doctores improbantur.*

 Nimus est, in breve compendium redigere pauca, quæ per gravem injuriam in libellis suis pronuntiat Paternitas Vestra in sanam probabilisticam doctrinam. Ad æquitatem judicii se componat Christianus Lector.

Postquam Paternitas Vestra discursum D. Augustini prolixè allegasset contra *probabilistas Academicos*, quo discursu probat S. Doctor.

in

in stolidis eorum principiis licita fieri omnia scelera; *omnia* penitus, horrendum dictu! *quæ fingi aut cogitari possunt*: intrepidè subjungit, *S. Patrem vaticinatum fuisse & prædixisse recentiorum Probabilistarum*, id est catholicorum istorum & doctorum Virorum  *futuros abusus*. Si vera hæc sunt: fateor, parū dixit P.<sup>tas</sup> V.<sup>ra</sup>, quando probabilisticam vocat *radicem propositionum damnatarum*: cum longè gravius sit, per abusus doctrinæ probabilisticæ fieri fautores & Patronos omnium scelerum. Excusare quæro Paternitatem Vestram, & non invenio: an forte hæc in *temerarios illos & creperos probabilistas* pronuntiata sunt, qui nimium audacter ac præfidenter, & velut cæco impetu profiliunt ad affingendam monstrosis & quibusvis periculosis Opinionibus probabilitatem, quas meritò Pontifices Romani damnant? Atqui id esset extra scopum quæstionis propositæ. Sed neque à doctrina commendari, qui talia factitant, merentur; uti recentiores probabilistas commendat Paternitas Vestra. Sed particulæ quoque mox subjunctæ satis explicant mentem: *Imò (formalia refero) moderni quidam laxiores sunt istis Academicis, antiquis (ratio subjungitur) quòd isti non admiserint sistendum esse in minus probabili in concursu probabilioris*. Obsecro, quis vel unus ex omnibus istis catholicis & doctis Viris unquam docuit sistendum esse? sisti enim posse in dubio juris, hoc docemus omnes. Ideone perditissimis istis laxonibus & vix hominum laxis laxiores nos?

2. Ne solius Paternitatis Vestræ judicio possumus nos tales videri, præclarum sanè *Stephani Gradii* testimonium contra *Honoratum Fabri* & socios Jesuitas citat, quod supra dedimus §. ult. c.1. Potuitne fœdius aliquid in *Honoratum Fabri*, & reliquos Doctores de Societate JESU? quid addi huic tali opprobrio possit non video. An gravius opprobrium foret, si Jansenismi insimulareretur? Non possunt hæc, non possunt adeò crudè citari, nisi ad invidiam & odium Probabilistarum, & specialiter Doctorum de Societate JESU. Sentiri etiam à nemine possunt, qui minimam retinet *annonam bonæ mentis & honestatis & officii*. Et hæc ipsa tamen regeruntur in recusis libellis: ut inculcetur lectoribus incautis breve compendium calumniarum in *Epistolis Provincialibus Montaltii* contentarum contra Doctores Societatis JESU. sed vult Eximius Pater, ne existimet lector à se esse Societatem tam crudâ citatione læsam. Imo pro hac suscipit patrocinium, quod est tale: quo dignos judicat reprehensione eos, qui si quid exorbitans in uno vel altero scriptore alicujus familia legerint, velint esse communem totius familia doctrinam. Sapienter hoc & omnino Religiosè. Pergit Paternitas Vestra: merito etiam hac de causa arguitur P. *Georgius Rhodius* Societatis JESU scriptor, eò quòd asseruerit sententiam suam de tutò eligenda opinione minùs probabili in concursu, infamem illam radicem, communem esse Societatis Doctoribus.

Gratias

Gratias pro hoc patrociniis: non est hic agnellus, dicebat Vulpecula, cum latitantem innocuum protenso pedunculo prodebat deglubitori pessimo. Verum & Vulpecula quandoque capitur in astutia sua. Neminem Doctorum Societatis, Eximie Magister, pudet probabilistam videri & esse *christianum* tamen, *catholicum*, *doctum*, *qualis* est *Honoratus* ille; non velut tenebrionem *Academicum*. Si alia non superest ratio iis patrociniandi; jam vel probabilistica abjuranda erit, vel iudicio Paternitatis Vestrae poterunt Jesuitae videri tales, quales *D. Augustini Vaticinio* & *Gradii testimonio* (scilicet) comprobantur.

3. Prosequitur Paternitas Vestra susceptum pro societate patrociniis, & allegat *Adm. R. P. Praepositum Generalem Mutium Vitellescum* contestantem, à *sententiis nonnullorum in Societate*, in rebus praesertim ad mores pertinentibus plus nimio liberis, non modo periculum esse, ne ipsam Societatem evertant; sed ne Ecclesiae etiam Dei insignia afferant detrimenta. Et hoc effatum Praepositi Generalis cantatur pag. 58. *dissert. de radice*. & recantatur in *praefatione dissertationis de praedestin.* iterumque cantatur in *triplici dissert.* ut velut in triplici festivo choro Jansenisticis auribus amænum resonet carmen. Sed quorsum hoc? ut ritè inferatur nimirum, ergo *Pater Rhodius* est dignus reprehensione, quia dixit doctrinam istam probabilisticam esse communem Societati. O bellè in formâ strictâ probatum!

Ad citatum *Admodum Reverendi Patris Generalis*

neralis effatum in dictatis responderam, non deesse spinas, ubi crescunt rosæ: in eo præstantium ingeniorum in Societate minimâ concursu (qualem tot & prope innumera omni genere scientiarum refertissima unius sæculi volumina & opuscula Sactorum probant) non potuisse non aliqua reperiri, extra debitum moderationis terminum extravagantia, dum quisque abundat in suo sensu: quæ proinde constringenda, & velut increpationis capistro coercenda fuerint, ut intra communes cæterorum Societatis Doctorum terminos, quos statuerunt Patres eorum, cum omni cautela & circumspeditione continerentur. Quæ etiam Prepositorum Generalium curâ ac vigilantia effectum id hæctenus esse, ut libri, quotquot de moralis Theologiâ tractant, si solum (sunt autem quamplurimi) lucem aspexerint, quos lectitasse nunquam pudeat verecundum & cordatum Lectorem. Utinam ubique eadem cautela observetur. Hanc meam responsionem assumit Paternitas Vestra in hæc triplici dissertatione valde subtiliter: Fatetur enim iste, inquit, in Societate ingenia reperiri extravagantia (fateor equidem, quia dixit Adm. R. P. Generalis in textu allegato à Paternitate Vestra) Quod quia ego non dixi, hinc ego non purgavi Societatem, sed quasi dolosè & per insidias læsi: ipse autem, quia hoc dixit, idcirco purgavit, & non per insidias læsit. Indigna gravi Doctore subtilitas. Tria dixi: Primum necessitatis est, alterum virtutis, tertium felicitatis. Hæc omnia ad purgandum simul juvant collecta. Quod necessitatis e-

rat;

rat, assumit Paternitas Vestra : quod virtutis, quod felicitatis, hoc omittit. Quæso, non citemur in textu mutilato. Si autem & mihi gratificari vult, peto formalia dictatorum à me, penitus in lucem non edi priùs, quàm meo ipsius iudicio digna censeantur. Ad prælum admoveantur, quæ magis promerentur, ut æternitati scribantur: cui ut concinnet Paternitas Vestra opuscula digna & libellos quamplurimos, ex animo opto.

4. Quorsum verò etiam spectat, quod paginâ 57. adducit: scilicet *modum docendi Societatis legibus præscriptum in hac formalia: qui docent scribuntve, minimè hac regulâ & normâ utantur in opinionum delectu: tueri quis potest; probabile est: Authore non caret: verùm ad eas sententias accedant, quæ graviorum maiorisque nominis authorum suffragiis sunt frequentate, quæ bonis moribus conducunt magis, quæ denique pietatem alere, & prodesse possint; non vastare, non perdere?* videtur mihi Paternitas Vestra in legibus Societatis apprimè versata esse. Placet. An verò per hæc sociis probabilisticâ interdictum putamus? absit. *Majoris enim nominis Doëtorum suffragiis frequentatur; moribus bonis conducit magis, non vastat, non perdit, &c.* utrùm Probabilistica vestra vastet ac perdat; videritis vos. Non opto ego: iterum iterumque dico: non opto iudicari vos juxta legem, quam statuitis.

5. Combinemus nunc ea, quæ per literam allegatam ad eò crudè hæctenus allata sunt, ad captum


& sensum sinceri & simplicis Lectoris. Quid enim? *Doctrina probabilistica est radix propositionum à Pontificibus damnatarum: Vaticinio item S. Augustini illa patrocinatur omnibus sceleribus. Testimonio Stephani Gradii, Probabilisticae sectatores nimium habent vilem annonam bonæ mentis & honestatis, & officii: Quinam verò in Ecclesiâ habeantur Principes Probabilistæ, iudicio ejusdem Stephani patescit, ipse Georgius Rhodius Societatis scriptor confitetur: nemo Jesuitarum inficiatur &c. ergo: Niger est, hunc tu Romane caverò. Qualem hæc & plura similia nata sunt opinionem gignere de Probabilistis & præcipuè istis, in animo Lectoris, experientia docuit non una. Probè novi fuisse, qui post libelli super radice sapius memorati lectitationem, Jesuitarum doctrinâs cane & angue pejus, ut loquimur, fugiendas decreverunt, seque ipsos ab eorum conversatione pro necessariâ salutis cautelâ subtrahendos.*

6. Et quoniam cerno, quanti Paternitas Vestrâ iudicium Præpositorum Generalium Societatis Jesu æstimet (& merito) breviter intelligat, ut cesset in patribus oppugnare filios, quid de Probabilistica senserit ipse vir sapientissimus Adm. Reverendus P. Generalis XI. Joannes Paulus Oliva. In Epistolâ ergo ad supra memoratum Honoratum Fabri Anno 1669. 3. Febr. scriptâ jubet ex-  
*terminates utrimque vitari, ut nec onus aliud hominibus imponatur, quod (NB.) Deus non imposuit sequendi in omnibus probabiliores & tutiores pat-*  
*petra*

*rem* ( quale onus grave imponendum urget mandaque P.<sup>tas</sup> Vestra ) *nec qualibet tamen permittatur, quasi eam tuto & liberè sequi possint.* Ita ille. Ecce qualis docendi licentia vetita sit in Societate. An non prælusisse illa videri potest in damnandâ propositione, quam damnatam postea scimus ab *Innocentio XI.* ordine tertiam, quæ sic habet: *generatim dum probabilitate, sive intrinsecâ sive extrinsecâ quantumvis tenui, modò à probabilitatis finibus non exeat, confisi aliquid agimus, semper prudenter agimus.* Sive nomine probabilitatis tenuis intelligatur probabiliter solùm probabilis, quam ante memoratus piæ memoriæ Præpositus voce *crepera* comprehendit: Sive probabilitas solùm *respectiva*, ut opponitur *absoluta*, de quâ eodem §. sive alia. Quocunque tandem sensu probabilitas illa tenuis exponenda sit; quod meum non est determinare, neque determino; haud probant Societatis Doctores, eam ad licitè operandum sufficere.


7. Quod citet Paternitas Vestra etiam pag. 99. *dissert. 3. S. P. Fundatorem*, nihil probat contra Probabilisticam. Quæ mens fuerit ipsius, exponitur in Epistolâ suprâ allegatâ ad Honoratum. Ecce habet Paternitas Vestra fidum interpretem voluntatis Ignatianæ & legum ab ipso in Societate conditarum, cui spero, acquiescet.





## §. S E X T V S.

*Prosecutio præsentis argumenti.*

1.  Ed *aliam*, inquit Paternitas Vestra, *interpretationem verborum meorum exigebat charitas: cum dubia in meliorem partem interpretanda sint*: Respondeo, si legem, quam præscribit *Sandao*, in *præfat. dissert. de prædest.* sequi ipsa practice voluisset, multa benignius in dictatis meis interpretata fuisset. Intelligimus Latinè. cum provocet etiã ad pugnandum *intellectibus, non voluntatibus*, cur præterit in posteriore *dissertatione triplici genuinam S. Fundatoris & legum Societatis interpretationem ab Adm. R. P. Generali* in formalibus citatis abundè factam, quam dictatis publicis ad calamum inserueram, & antea inseruerat *confutationi Triumvirorum Sandæus?* non videbatur scilicet expedire ad intentum.

2. Quæ plura *Societatis Decreta* allegantur, nihil ad scopum controversiæ nostræ. Servabuntur illa sacrosanctè, tametsi pergamus Probabilisticã rueri. Servabunt etiam ordinum suorum decreta *Theatini, & sanctissima Trinitatis Religiosi*, quos citat Paternitas Vestra in ultimo libello, cum in priore solummodo meminisset legum Societatis *JESU*. Neq; vereatur Paternitas Vestra, nè *Probabilistica* sit *pruriens, exotica, minusque cum litera*  
S. Thomæ

*S. Thomæ coherens opinio.* Salvâ eâdem studebunt Theatini & Jesuitæ evitare cum omni debitâ cautelâ *opinionēs laxas, novas, ac parum tutas; abstinebunt à paradoxis monstris recentiorum placitorum, seu problematum, quæ magis vanitati ac periculose ostentationi militant, quàm veritati.* Inanis est sollicitudo Paternitatis Vestræ, cùm ita habet: *Sî horum ordinum decreta referrem fuisse ordinata à superioribus Societatis, opposuisset iste (Authorem hujus responsionis intelligit) me dolosè & per infidias lesisse authores Societatis.* non sic, mi Pater: est modus in rebus, quem requiro.

3. Pergit Paternitas Vestra: *an hos præclarissimos viros sententiæ, quam tuemur, per sua decreta patrocinantes (scilicet) numerabit etiam inter Jansenistas?* Absit, Eximie Magister, longè absit à me calumnia. De eminentibus Jansenistis vidimus supra.

4. Pergit Paternitas Vestra pag. 59. *Hieronymum Placentiam S. 7.* citare. Responsum est à *Wilhelmo Sandeo.* citari solida ejus responsa debebant in 3. dissert. & refutari, si potuissent.

5. At ecce nova evasio, quam tentat Paternitas Vestra, ne ordinem Societatis Jesu, & cum eo tot integerrimos & religiosissimos viros Probabilistas criminata fuisse videatur. *Supponebam,* (inquit in præfatione cit.) *à viris doctis non ignorari, quid vage probabilitatis (ita invidiosâ appellatione placet eam nominare, quam alio nomine versatilem vocat, eò quòd vagari sci-*

licet & versari in utramque partem probabilem voluntati licitum faciamus) *defensores & signanter eorum Princeps illustrissimus & acutissimus Caramuel docuerit*. Responsio hæc Paternitatis Vestræ non absimilis mihi videtur ei, quam in sui defensionem allegaret, qui Principes & Magnates Europæ in genere velut Tyrannos, & subditorum oppressores pnblico scripto proscinderet: ac postmodum ad examen vocatus ediceret, se supposito à viris doctis non ignorari, qualis fuisset *Dionysius Rex Sicilia*. ergo. Sed neque in statu controversiæ nostræ est, utrùm hæc & istæ particulares opiniones *Caramuelis*, seu cujusvis alterius, prudenter & sinè temeritate possint, ut strictè & absolutè probabiles haberi: sed utrùm, ex supposito, quòd sint strictè & absolutè & certò probabiles, liceat sequi eas in concursu opinionis tutioris & probabilioris. Qui legit Paternitatis Vestræ libellos, supponit à viro docto concinnatos, neque aliter exponit, quàm quatenus ad scopum collimant. Sed neque dubitet Paternitas Vestra, quin vir ille doctus, iste *lucifugus* ( hac voce utitur Paternitas Vestra ) nôrit, qualis fuerit *Caramuel*, aut qualia docuerit. Veniet forte citiùs ad lucem, quàm desideret. Tenebræ ipsius sunt meliores luce Jansenisticâ. Minimè etiam in *Caramuelem* hunc sine apertâ & summâ calumniâ dici ea possunt, quæ *vaticinio D. Augustini & testimonio Stephani Gradii* malè complectitur Paternitas Vestra, Scripturum oportet

portet meminisse, quòd litera scripta manet, ex quâ judicetur: mitiùs deinceps. Fratres sumus in Christo, & unius capitis membra. *Charitas non emulatur, non agit perperam, non cogitat malum, non gaudet super iniquitate. 1. Cor. 13.*

6. A benevolo autem Lectore id peto, ut si forte seu per Eximiam Paternitatem Vestram suspecta sibi reddita sit, seu per *triumvirorum Belgarum*, aliorumque scripta, dicta, edita opuscula, ea, quæ revera secundùm pietatem est, doctrina Societatis, placeat Patrem *Stephanum du Champ* super *heresi Jansenianâ* consulere: non modò enim non laxatam, sed longè magis constrictam esse moralem Theologiã per Societatis Doctores intelliget. Unum aliquod argumentum exhibeo in materiã lubricã, unde iudicium formet æquus Lector de cæteris. Emanavit *Adm. R. P. Generalis Claudii Aquavivæ* decretum Anno 1612 ad universam Societatem tale (ad plenius scilicet in eã materiã consulendum, in quâ periculum majus intenditur, ut dicit Pontifex cap. ubi periculum de elect.) *In virtute sanctæ obedientiæ, & sub pœna excommunicationis & privationis lecturæ, vocis activæ & passivæ, nec non inhabilitatis ad qualibet officia, aliisque pœnis arburio prepositi Generalis infingendis præcipitur, nè quis in Societate publicè vel privatim, non modò ut veram & probabilem, sed ne ut tolerabilem quidem, ullâ ratione doceat opinionem eorum, qui tradunt in re venerea exiguam aliquam delectationem, deliberatè questam, propter*


levitatem materiae excusari à mortali, aut placere sibi significet, aut secundum illam consilium cuiquam det. An tam rigida etiam in aliis ordinibus extant Generalium aut Capitulorum decreta? quin & præceptum hoc postea extendit idem *Claudius ad delectationem deliberatè admissam*. Credo per hæc & similia, non laxari moralem Theologiam. Aut fortè à Societatis Doctoribus non observantur? Probetur aliquid solidè, relictis acerbitatibus & censuris istis, quibus super sedendum esse statûs nostri ratio, monita apostolica, charitas, iustitia, exempla denique Pontificum in damnandis propositionibus docent,

7. Hactenus ab æmulis suis Doctores & Confessarii Societatis traducti sunt tanquam iustò rigidiores, ut hæc larvâ deterriti, rudiores pœnitentes ab iis profugerent. Detracta larva est, & fraus detecta. Jam laxi nimium, & laxiores Ethnicis Academicis habentur. Sed & hæc detrahetur. Apparebit medium tenuisse: Uti & mediû tenere docuerunt *Revisores Romani*, quando à *Gallo-Belgis Patribus* consulti de eo, quid fieri oporteret, si vir doctus se accusaret apud nostros de venereis tanquam peccatis suâ opinione solum venialibus ex parvitate materiae, nolens hanc suam opinionem deserere; responderunt nomine *Adm. R. P. Generalis GOSWINI NICKEL* 15. Jan. Anno 1659. posse ac debere absolvi. Cujus ratio datur, quòd hoc non sit ullo modo approbare sententiam nostræ oppositam, aut secundum illam  
con-

consilium dare, sed suppositâ qualicunque estimatâ  
 probabilitate, quam Ecclesie authoritas juxta quos-  
 dam Doctores nondum eliserit, jus suum tribuere  
 poenitenti sufficienter aliàs disposito ad absolutionem,  
 licet confessarius opinionem poenitentis censeat omni-  
 no esse improbabilem. qualem & videri potest pru-  
 denti judicio reddidisse propositio 12. ab Alexandro  
 VII. damnata, quæ sic habet: est probabilis opinio,  
 quæ dicit, tantum esse veniale osculum habitum ob  
 delectationem carnalem & sensibilem, quæ ex osculo  
 oritur, secluso periculo consensûs ulterioris & pollu-  
 tionis. Nunquid his ita expositis, iterum iterum-  
 que liceat contorquere in Paternitatem Vestram,  
 quod ipsa in me: Opto scriptori gratiam efficacem,  
 quæ ei in pluribus defuit: alioquin plura omisisset,  
 quæ asseruit sine motivo prudentiæ? Veruntamen  
 procliviores manemus, quarere potius, quid contra  
 ea respondeamus, quæ nostro objiciuntur errori,  
 quàm intendere, quàm sint salubria, ut ca-  
 reamus errore. Aug. de natura


& gratia c. 25.





## S. SEPTIMVS.

*Remittitur F. Leonardo lixi-vium.*

I.  Unc ad te convertor F. Leonarde, qui specialem Paragraphum tibi promeritus es pro singulari tua benevolentia in me popularem tuum, quam perspiciendam dedisti in approbatione disert. triplicis. Libet formalia tua allegare, & controversiam nostram paucis expedire. Ita incipis: *Quantopere nouellus quidam Theologus* ( totum omnino triennium me seniores : veneror canos tuos ) *in suis manuscriptis de opinionum probabilitate nuper publicè dictatis cœcutiat* ( cœcutientem te vidisti in oculis meis ) *quàm parum versatus sit in S. Augustini veridicis dogmatibus* ( idem de me & melioribus Doctoribus jactat hodie Calvinista & Jansenista ) *quàm alienus à melleis melliflui Doctoris doctrinarum fontibus* ( è quibus tu, quantum te ingurgitasti! qui non nisi mera mella mellei melliflui in me ructas ) *quàm rudis in Angelicis scholæ Angeli Doctoris Angelici Theologicarum literarum monumentis* ( Immane quantum, ohe! contremiscunt parietes scholæ Theologiæ, dum ex Authoritatibus Angelicis scholæ Angeli Doctoris Angelici, tu Angelice & erudite Salamanticensis discipule nos impugnas ) *Deum, quàm hujus ævi horum sanctæ matris Ecclesiæ*

*fiæ*


*ſe* luminarium per omnia exactiſſimè ſe attempe-  
rantibus ſententis. nonnullis uti ingenii acie excu-  
tiſſimis, ita conſcientiarum integritati, puritati, &  
tranquillitati conſulenda ſtudioſiſſimis Doctores  
injuriis extiterit, prodidit: dum per ſummam nec  
veritatis amanti ferendam calumniam (calumniam  
non faceres, niſi paſſio vetuiſſet veritatem in-  
quirere. Sed quid vis dicere irregularis Rhetor  
& Grammaticæ? Lector relegat ut intelligat )  
eos non qualeſcunque, ſed eminentes Janſeniſtas ex-  
ſibilare non erubuit ( tuam erubeſco parùm cir-  
cumſpectam & effrenem in ſcribendo licentiam.)

2. A quorum numero cum pariter Admodum  
Reverendum & Eximium P. F. Joannem Schwei-  
zer S. S. Theologiae Doctorem Sapientiſſimum, Or-  
dinis S. Patris Auguſtini Eremitarum Provincia-  
lem digniſſimum ( neque illum eſſe digniſſimum  
Provincialatu, neque te dignum eſſe Prioratu, ego  
inſicior ) eximere non videatur, is jure meritiſſimo  
anſam ſibi datam & ſuggeſtam arripuit, hanc à ſe  
aliſque S. P. Auguſtini, Angelici Doctores & S.  
Bernardi diſcipulis ( imaginariam non à me ſed ex-  
ceptore falſario alieno cerebro impreſſam, &  
non illubenter acceptam ) impaetam amolendi ca-  
lumniam, & Lixivio, quali decet ( non meam ſed  
tuam ) tam procacis, ignorantis & petulantis calami  
ſpurcitiem detergendi ( terſit quidem Author Li-  
belli de calami tui ſpurcitiæ, multa his foediora,  
non tamen omninò deterſit: meriturus de te me-  
liora, ſi hanc graveolētis cloacæ tuæ mephytin te-  
nebris




nebris potiùs quàm luce donasset. Ecce *lixivium*, quod remitto cum gratiarum actione pro oblato obsequio tam benevolo: Tolle quod tuum est, & vade: memor deinceps professionis, quam fecisti in laudatissimo Ecclesiæ ordine. Si culpam putas, quòd *lixivium* tibi tuum remitto, vide quantæ tribuendum tibi sit, quòd tu primus parâsti & fætentem asperginem tuam in me effudisti. Quòd autem obtrudere pergis, te famam *Vincentii* vindicasse, quæso ut desinas excusare excusationes in peccatis. Dupliciter peccas, si istum perindè innocentem facis, ut me nocentem, Multum in utroque falleris: uti & in hoc tertio, quòd peccata licet mortalia habere videaris pro actibus virtuosis: quando hanc thesin impressam nuper propugnandam publicè suscepisti, quam in suis formalibus & interpunctionibus fideliter hìc subjicio, ut sequitur: *judicium, quod est actus elicitus à virtute justitiæ, si temerarium fuerit, de gravi peccato proximi, ex genere suo peccatum mortale est.* D. Tho. 9.60. a. 1. § 3. Agnosco thesin praxeos probabilisticis usitatæ. Agnosco actum virtutis, & quidè justitiæ, judiciū tuū temerariū de proximi, id est, meo (existimato) peccato. Si quid deinceps tibi scribendum videatur contra me, quæso ut examinandum prius exhibeas his, qui prudentiores & modestiores te sunt. Vale. Superest paucis epistolam apologeticam ad authorem Dissert. tripl. concludere.

§. VIII.



## §. OCTAVUS.

*Concluditur Apologia.*


i.  *Æc sunt, Admodum Reverende & Eximie Pater, quæ super controversiâ tam famosâ paucis duxi respondenda. Dum rei totius negotium perpendo, videtur id mihi non absimilis esse argumenti, cujus fuit exorta contentio temporibus Apostolorum in Ecclesia Dei, per imprudentes quosdam legis Mosaicæ æmulatores, zelo, ut apparebat quidem, pietatis, sed non secundum scientiam abreptos, omnique studio laborantes gentibus ad Christum conversis jugum circumcisionis seu legis Mosaicæ imponere: de quo ita legitur Act. 15. Surrexerunt quidam de Hæresi Pharisæorum ( Jansenistarum ) qui crediderunt ( scilicet in Christum ) dicentes: quia oportet circumcidi, præcipere quoq; servare legem Moysi ( quia oportet constringi conscientias; præcipere quoq; servare legem probabilioristicam ) Conveneruntque Apostoli & seniores ( Innumeri præstantissimi Ecclesiæ Doctores ) videre de verbo hoc. Cum autem magna conquisitio fieret, surgens Petrus dixit ad eos: Viri Fratres quid tentatis Deum, imponere jugum super cervices discipulorum, quod neque Patres nostri, neque nos portare potuimus. Respondit Jacobus dicens: propter quod ego judico, non inquietari eos: sed scribere, ut abstineant se à contaminationi-*

bus simulachrorum & fornicatione ( & transgressionem cujuscunque legis certò latæ & promulgatæ ) Tunc placuit Apostolis & senioribus cum omni Ecclesia ( omnibus melioribus Ecclesiæ Doctoribus & Theologis ) eligere viros, scribentes permanentes eorum: Apostoli & seniores Fratres ( Doctores & seniores Theologi ) his qui sunt Antiochie, & Syria & Cilicia ( Lovanii & Colonia ) Fratribus salutem. Quoniam audivimus, quia quidam ex vobis exerentes, turbaverunt vos verbis, evertentes animas vestras, quibus non mandavimus: placuit nobis collectis in unum, eligere viros, & mittere ad vos. Visum est enim Spiritui sancto ( qui suave jugum, & onus leve per Christum imposuit ) & vobis, nihil ultra imponere vobis oneris, quàm hæc necessaria, ut abstinatis vos ab immolatis simulachrorum &c. à quibus custodientes vos bene ageitis. Valete. Quam cum legissent, gavisi sunt super consolatione. Nunc

2. Postremùm convertor ad Paternitatem Vestram, eamque compello in iisdem terminis, quibus Celladium alloquitur, & bipartitum Tractatum de regula morum finit modestissimus Antonius Terillus: sic ut secundam personam, quam ipse alloquitur, convertam honoris causâ in tertiam. Itaque ex hoc capite gratias agimus Vestre Paternitati, eamque rogamus, ut impugnationem hanc æqui bonique consulat, nec agrè ferat me scripsisse. Hoc enim feci, tum ut communem omnium Authorum ( Probabilistarum ) quos grandis pericula

enli reos fecit, causam agerem, illosque ab accusatio-  
 nibus Paternitatis Vestra vindicarem; tum ut ma-  
 teriam hanc prius à me (in dictatis scholasticis)  
 vulgatam, hâc secundâ scriptione perficerem, atque  
 doctrinam ibidè traditam, ab iis, quæ Paternitas Ve-  
 stra in eam objecit, defenderem. Hoc autem me sola-  
 tur, quod sciam me cum Theologo ingenioso con-  
 gressum habuisse: qui proinde præsumi potest impu-  
 gnationem haud agrè laturus, cum sit conscius, se  
 complures atque omnes fermè Ecclesie Theologos im-  
 pugnasse. Proposui, quæ mihi in libellis suis visa sunt  
 notâ & correctione digna. Si quid vel in minimo a-  
 licubi à me erratum esset, de hoc non solum patien-  
 ter, sed Deo dante, libenter à quovis me admoneri  
 patiar. Homo sum: nil humanum à me alienum pu-  
 to. Si ergò quidquam consonè ad pietatem, ad fidem  
 orthodoxam, ad bonos mores, ad rationem rectam à  
 me scriptum fuerit, approbet: si verò in aliquo deflexi,  
 totum id Sapientiam correctioni ex animo submitto.  
 Dolendum sanè, quòd (in doctrinis tam periculo-  
 sis & censurationibus indignis) eximia talenta  
 sua, doctrinam, eruditionem, subtilitatem perdiderit.  
 Cogitet, quantum utililitatis Ecclesie, quantum  
 commodi proximo, quantum etiam gloriæ sibi ipsi  
 pareret, si laborem & industriam ad communes  
 morum ac fidei opiniones elucidandas addiceret.  
 Hoc mihi semper heret in corde, tritam Catholico-  
 rum Doctorum viam, communesque & unanimes  
 Doctorum tam in materia fidei, quàm morum opi-  
 niones esse tutissimas. Ergò has sequamur: ad bo-

num proximi & salutem animarum: sed potissimum ad laudem summi Dei, cuius honori hos meos exiguos labores, omnemque industriam devotissimo affectu dedico.



*Ad Benevolum Lectorem.*

**P**riusquam finio, scire te cupio, quòd nomen meum in titulo Apologiæ, ac deinceps exprimi noluerim, ob probabilisticæ contentionis invidiam, & Censurarum in me fœditatem; quæ venales extant in approbationibus Dissertationis triplicis. Sed quia Apologiæ impressione jam prope paratâ, intellexi, id ab adversariis ad crimen trahendum, volui, ut in authentico Notarii instrumento pag. 142. exprimeretur. Convenientiùs quoque videbatur, sciri, cuius essem professionis, qui Superiorum permisso Apologiam edi profiterer, ad quorum Centuram remissus fui. Nec plura. Feci ego in hac responsione quod debui: faciant adversarii, quod possunt, dummodo salva deinceps charitatis jura & justitiæ servent. Si indignantur & vitio vertunt, quòd responderim; videant, quantum culpæ suæ tribuendum sit, quòd provocârint. Justitiâ causæ meæ fretus, nullius integri & prudentis arbitrii iudicium reformido. Nunc addo paucula corrigenda in Apologetico responso.

ERRA

E R R A T A.

Pagina 23. num. 5. lin. 13. lege aget pro agit.

Pag. 50. num. 3. lin. 16. ante hæc verba : Quod nisi ita est : desiderantur nonnulla, ob quæ minùs probent ad scopum pauca lineolæ sequentes, inprimis de Apostolo. Habeantur pro non positis.

Pag. 51. num. 4. lin. 14. post hæc verba : non aliter : addantur sequentia claritatis causâ. Sic tamen si possit error subesse actui intellectus directè tendentis in objectum nudè spectatum, quo judicatur Titius petens eleemosynam esse pauper; non tamen isti actui, qui tendit in objectum ut existens in intellectu : qualis actus est quo judico Titium ut à me præsumptum pauperem honestè sublevari posse per datio- nem eleemosynæ : qui posterior actus certus & evidens est. Simili modo loquendum in aliis. Quod nisi ita est, certè imprudenter egisset, & peccasset Jacob cognoscendo Liam, quam putabat esse Rachelem : atqui prudenter egit, & non peccavit; quia licet actui illi, quo judicabat istam esse Rachaelem, error subesset, adeoq; per hunc præcisè actum prudenter dirigi non posset; dirigi tamen potuit per actum, quo prudenter judicabat sibi licere eam cognoscere, quam meritò & ex justis causis præsumebat esse suam conjugem. Quid potest ad hæc apponi? &c.

Pag. 53. in fine num. 1. lege : verùm elidetur hæc oppositio infrà cap. 3. pro : verùm elisa est &c.

Pag. 56.

## ERRATA.

Pag. 56. in 3. lin. ante finem, tò &, positum initio  
lineæ, ponatur in fine.

Pag. 71. in titulo capitis. lege: sanam pro sanctam.

Pag. 87. num. 4. in lin. penultima. Omittendum  
est tò, divino.

Pag. 92. lin. ultima num. 3. alio caractere impri-  
mi debuerant: ecce claram, sobriam, piam do-  
ctrinam. Non enim pertinent ad formalia  
D. Thomæ.


Pag. 100. lin. 9. ante finem §. post verba: ex au-  
thoritate: addatur tò, præsertim.

Pag. 106. lin. 1. lege: probabilioritas, loco, pro-  
babilitas.


Pag. 114. lin. 9. lege: non sunt efficacia intrinse-  
cè, loco, non est efficax intrinsecè.


## FINIS.



















Apologia  
P/E

Th  
452